

LITURGIA HISPANA

VEL

MOZARABICA

Fuentes Litúrgicas

S. E. L. M.

Centro de Estudios Filosóficos Medievales

Universidad Nacional de Cuyo

Mendoza

2004

MISSA MOZARABICA¹

✠ Quando² preparatus sit Sacerdos³ ad Missam celebrandam: ingressus ad sacrarium lavet manus⁴ dicendo.

Oremus.

Oratio. Largire⁵ sensibus nostris quesumus Domine omnipotens Pater: ut sicut exterius inquinamenta manuum abluuntur: sic per te mentium sordes misericorditer emundentur: et crescat in nobis augmentum sanctarum virtutum. Per Christum Dominum nostrum.

Postea flectat genua coram vestibis: et dicat quatuor *Ave Maria*⁶. Et de intimo corde commendet se gloriose Virgini Marie: ut offerat illud acceptabile mysterium⁷ Deo Patri et

¹ Tomamos el texto de la edición de Migne (PL 58 522B-567) con algunas pequeñas modificaciones. También de allí tomamos las notas en pie de página que son las redactadas por Alexander Lesley, S. J. en el s. XVIII para la primera reedición del Misal. Cuando en ellas se hace referencia a “página” o “folio” es para designar las correspondientes al dicha edición y a las notas puestas allí puestas por él.

² Quae sequuntur regulae generales (ut in Missali Toletano appellantur) in Missali Romano sancti Pii V ordinarium missae, et in Missali Mozarabum praeparatio pro missa et liber omnium offerentium, denominantur: ea autem complectuntur quae in omnibus ferme missis aut agenda sunt, aut certe recitanda, et generales quasdam rubricas e libro officiali depromptas.

³ Praeparatio ad missam celebrandam alia est remota, alia proxima: remota praeparatio hic praesupponitur rite praemissa. De qua vid. em. Bona (Rer. Liturg. lib. II, cap. 1). Ad praeparationem proximam pertinent rubricae, quae subnectuntur. 1° Igitur sacerdos manus lavat dicendo orationem Largire sensibus nostris, etc. 2° Antequam sacerdos vestes induit, flexis genibus orat. 3° Surgens ab oratione signum crucis facit dicendo: In nomine, etc., vestesque sacras ordinatim induit, et ad singulas orationem propriam dicit. 4° Indutus vestibus sacris, preces quasdam et orationem Deus qui de indignis, etc., recitat. 5° Junctis coram pectore manibus ad altare procedit.

⁴ Vetusissimus Christianorum mos erat manus ante orationem lavare, ut puras ad Deum levare possent (I Tim. II, 8; Tert. de Orat., cap. 2). Qua de causa ante ecclesias fontes erant lavandis manibus aquam ministrantes, ne quis illotis manibus in ecclesiam ingrederetur (Euseb., Hist. lib. X, cap. 4; S. Paulinus Nolanus, epist. 32). Hinc sacerdoti missam celebraturo praescribitur lotio manuum: est autem haec caeremonia ex se indifferens, ut animadvertit sanctus Chrysostomus (Hom. 73, al. 72, in Joan.), non tamen, munditiei causa, praetermittenda.

⁵ Haec oratio, ad manus lavandas, a sacerdote dicenda in missa Illyrici praescribitur. Eadem in Missali Toletano habetur.

⁶ Rubrica Missalis Toletanae praescribit ut dicat quinquies Ave Maria. Salutatio Angelica in liturgia sancti Jacobi (Bibl. Patr. Gr.-Lat. Paris., tom. II, pag. 16) dicitur post consecrationem et invocationem Spiritus sancti. In liturgia sancti Marci (Renaud., tom. I lit. Orient., pag. 149) dicitur ante consecrationem: Ave, gratia plena; Dominus tecum; benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui, qui peperisti Servatorem animarum nostrarum. Caeterum eadem rubrica habetur in Missali Toletano anno 1550 Lugduni typis edito.

⁷ Corrige acceptabilem ministrum.

Filio et Spiritui Sancto. Et ut ipsam in hoc sacrificio mediatricem et adjutricem habeat. Deinde muniat se signo crucis et super quamlibet vestem dicat.

In nomine Patris ✠ et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Ad amictum⁸.

Oratio. Pone Domine galeam salutis in capite meo: ad expugnandas et superandas omnes diabolicas fraudes: omniumque inimicorum meorum seviciam superandam. Per etc.

218 Ad albam.

Oratio. Indue me Domine vestimento salutis: ac tunica justicie: et indumento leticie circumda semper. Per Christum.

Ad cingulum.

Oratio. Precinge Domine cingulo fidei: et virtute castitatis lumbos mei corporis: et extingue in eis humorem libidinis: ut jugiter maneat in me tenor totius castitatis. Per Christum.

Ad manipulum.

Oratio. Merear queso Domine deportare manipulum justicie: et ferre cum patientia: ut illum cum exultatione deferendo cum tuis Sanctis portionem accipiam. Per Christum.

⁸ De amictu, alba, cingulo, manipulo, stola et casula, sive planeta, vestibus sacerdotalibus vide em. Bonam (De Reb. liturg., lib. I, cap. 24) erudite disserentem. Ad rem nostram adde concilium I Cojacense, anno 1050, vigente adhuc liturgia Gotho-Hispana (Cap. 3), statuisset: Vestes autem presbyteri in sacrificio habeantur amictus, alba, cingulum, stola, casula, manipulus. Eisdem vestes sacras recenset Amalarius Metensis (De Eccl. Off. lib. II, cap. 17 seq.), nisi quod (Cap. 24) pro manipulo sudarium dixit. Amalarius autem anno 836 exstinctus est. Amictum Gotho-Hispani aneboladium appellabant (Vid. not. pag. 174). Alba sancto Isidoro (Orig. lib. XIX, cap. 21) dicta est tunica sacerdotalis linea, quae vulgo camisa vocatur. De cingulo sanctus Isidorus (Orig. lib. XIX, cap. 34, apud Em. de Aguirre, Concil. Hisp., tom. III, pag. 199). Exstat donatio Rudesindi episcopi facta anno 935 monasterio sancti Salvatoris Cellae novae in Gallaecia, qua, inter alia, recensent cingulos auro gemmatos duos, alios argenteos exauratos, ex quibus unum gemmatum, alios lineos decem. Cingula autem gemmata proprie strophia dicebantur (S. Isid., Orig. lib. XIX, cap. 33). De manipulo, stola et planeta fit mentio in Actis dedicationis ecclesiae sanctae Mariae Rivipullensis, anno 888, apud de Marca, in appendice ad Marcam Hispanicam (pag. 817). De stola et alba meminit sanctus Germanus Parisiensis, aut alius sub ejus nomine vetus scriptor (In epist. de communi officio, Thes. nov. Anecd. tom. V, col. 98). Stola vero antiquioribus orarium dicebatur (Conc. Bracar. I, can. 27; Bracar. III, can. 3; Toletanum IV, can. 39). De casula, veste sacerdotali, fit mentio in testamento sancti Perpetui Turonensis, quod ipse anno 475 scripsit (Spicil., tom. V, p. 106), et apud Paulum, diaconum Emeritensem (De vitis Patrum Emeritensium, cap. 5). Eadem planeta dicebatur (S. Isid., lib. XIX Orig., cap. 24), et apud Gallos amphibalum. Sanctus Germanus, in laudata epistola de communi officio: Casula, quam amphibalum vocant, et sanctus Remigius Rhemensis amphibalum album paschalem testamento legavit (Test. S. Remigii, apud Labbeum, Bibl. t. I, pag. 806). Porro orationes istae, quae hic dicendae apponuntur dum sacerdos vestimenta sacra induit, eadem leguntur in vetustis Codicibus sancti Gatiani Turonensis, Sacramentarii Moysacensis octingentorum annorum, apud Martenium (De antiq. Eccl. Ritib. tom. I, lib. I, cap. 4, art. 12, col. 534, 537). Orationes siquidem ad amictum, ad albam, ad cingulum eadem sunt in Sacramentario sancti Gatiani Turonensis, et ferme eadem in Moysacensi. Ad manipulum, ad stolam et casulam, eadem in Moysacensi leguntur.

Ad stolam.

Oratio. Redde mihi Domine obsecro stolam immortalitatis: quam perdidisti in prevaricatione primi parentis: et quia cum hoc ornamento quamvis indignus accedere ad tuum sanctum presumo mysterium: presta ut cum eodem letari merear in perpetuum. Per etc.

Ad casulam.

Oratio. Jugum tuum Domine suave est: et onus tuum leve: presta ut sic illud deportare valeam: ut consequi possim tuam gratiam. Per Christum.

Postea quam Sacerdos sit indutus dicat hoc.

R\. Pater peccavi in celum et coram te: jam non sum dignus vocari filius tuus. **P.** Fac me sicut unum de mercenariis tuis. **V\.** Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus: ego autem hic fame pereor: surgam et ibo ad patrem meum et dicam ei. **P.** Fac me. Kyrieleyson. Christeleyson. Kyrieleyson. Pater noster. **V\.** Ab occultis meis munda me Domine: **R\.** Et ab alienis parce servo tuo. **V\.** Domine exaudi orationem meam. **R\.** Et clamor.

Oremus.

Oratio. Deus qui de indignis⁹ dignos: de peccatoribus justos: et de immundis facis mundos: munda cor meum et corpus meum ab omni sorde et cogitatione peccati: et fac me dignum atque strenuum sanctis altaribus tuis ministrum: et presta ut in hoc altari ad quod indignus accedere presumo: acceptabiles tibi hostias offeram pro peccatis et offensionibus: et innumeris quotidianis meis excessibus: et pro peccatis omnium viventium: et defunctorum fidelium: et eorum qui se meis commendaverunt orationibus: et per eum tibi meum sit acceptabile votum: qui se tibi Deo Patri pro nobis obtulit in sacrificium: qui est omnium opifex et solus sine peccati macula Pontifex. Jesus Christus filius tuus Dominus noster. Qui tecum vivit etc.

Et statim¹⁰ manibus junctis coram pectoribus humiliter exeat: et eat ad altare:

Dicat Presb. {sequentem antiphonam} ante Altare antequam faciat confessionem in omnibus Festis precipuis. {in festis quattuor vel sex capparum et in octavis} [In cantu]

⁹ Haec oratio in Sacramentario sancti Gatiani Turonensis inter alias apologias exstat. Ejusmodi apologiae plures leguntur in Sacramentario Gregoriano Menardi, quae vetustis Missalibus libris orationes ante missam nonnunquam inscribuntur. Dicuntur apologiae sacerdotis, quia illis sacerdos excusat sese, quod indignus cum sit audeat ad sacra mysteria celebranda accedere. Ad calcem Missalis Toletani adjecerunt ordinem celebrandi missam, in quo arbitrio sacerdotis relinquunt ut, si voluerit, orationem Deus qui de indignis, etc., dicat antequam vestes sacerdotales induat; at juxta rubricam Missalis nostri haec oratio dicenda est a sacerdote postquam vestes sacras induit; deinde, quod singulare est, orationi praemittuntur antiphona, Kyrie et oratio Dominica, quibus, tanquam collecta, subjicitur Deus qui de indignis. Caeterum haec distinguenda est ab alia apologia quam facit sacerdos statim ante orationem missam.

¹⁰ Eadem rubrica legitur in Missali Toletano, ubi notandum sacerdotem calicem ad altare non deferre, ut modo plerumque fit, cum missa privata celebranda est.

Per gloriam nominis tui Christe fili Dei vivi et per intercessionem sancte Marie Virginis et beati Jacobi et omnium Sanctorum tuorum auxiliare et miserere indignis servis tuis et esto in medio nostri Deus noster qui vivis et regnas in secula seculorum. Deo gratias.

{In festis autem minoribus absolute incipiat dicendo}:
et faciat confessionem dicendo prius¹¹.

Ave Maria. In nomine Domini nostri Jesu Christi. Amen. Sancti Spiritus adsit nobis gratia.

V\ Introibo ad altare Dei.

R\ Ad Deum qui letificat juventutem meam.

P. Judica me Deus. **totum. cum** Gloria Patri.

Et iterum dicat. Et introibo ad altare Dei.

R\ Ad Deum qui letificat juventutem meam.

V\ Dignare Domine die isto.

R\ Sine peccato nos custodire.

V\ Confitemini Domino quoniam bonus.

R\ Quoniam in seculum misericordia ejus.

V\ Ora pro nobis sancta Dei genitrix.

R\ Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Confessio¹².

Confiteor omnipotenti Deo et beate Marie Virgini¹³: et Sanctis Apostolis Petro et Paulo et omnibus Sanctis: et vobis fratres manifesto me graviter peccasse per superbiam¹⁴: in lege Dei mei: cogitatione: locutione: opere et omissione: mea culpa: mea culpa: gravissima mea culpa. Ideo precor beatissimam Virginem Mariam: et omnes Sanctos et Sanctas: et vos fratres orare pro me.

Absolutio. Misereatur vestri omnipotens Deus: et dimissis omnibus peccatis vestris: perducatur vos ad vitam eternam. Amen.

Absolutio ad populum. Indulgentiam absolutionem et remissionem omnium peccatorum vestrorum cum emendatione morum et vite: per gratiam Sancti Spiritus tribuat vobis misericors Dominus. Amen.

¹¹ Eadem in Missali Toletano leguntur, caeterum vetustam esse consuetudinem recitandi psalmum Judica me Deus cum versiculo Introibo, probat P. Le Brun (Explic. missae t. I, part. I, art. 3, n. 4, pag. 111). De hac consuetudine Pontificale Prudentii Trecensis, apud Martenium (De antiq. Eccl. Ritib. tom. I, col. 530), habet: Hac dicta, sacerdos osculatur altare, dicat: Introibo ad altare Dei, etc. Psal. Judica me, Deus. Orat. Aufer a nobis, etc. De eadem in missa Illyrici, apud Martenium (Ibid., col. 495) et apud Micrologum (Cap. 23).

¹² Confessionis formulae plures et variae in vetustis Missalibus libris inveniuntur. Haec, paucis mutatis, in Missali Toletano (Fol. 114, col. 2) legitur. Adverte quod omnibus praecipuis diebus festivis, sacerdos, antequam faciat confessionem, dicit: Per gloriam nominis tui, Christe fili Dei vivi, et per intercessionem sanctae Mariae virginis, et beati Jacobi et omnium sanctorum tuorum, auxiliare et miserere indignis servis tuis, et esto in medio nostri Deus noster, qui vivis et regnas in saecula saeculorum; et respondetur Deo gratias.

¹³ In formula Toletana legitur semper virgini.

¹⁴ In Toletana paulo aliter: Et manifesto omnia peccata mea, quia peccavi nimis cogitatione, locutione, opere et omissione; mea culpa, etc.

V\ Deus tu conversus vivificabis nos.
R\ Et plebs tua letabitur in te:
V\ Ostende nobis Domine misericordiam tuam.
R\ Et salutare tuum da nobis.
V\ Sacerdotes tui induantur justiciam.
R\ Et Sancti tui exultent.
V\ Domine exaudi orationem meam.
R\ Et clamor meus ad te veniat.
V\ Dominus vobiscum.
R\ Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Oratio. Aufer¹⁵ a nobis quesumus Domine: cunctas iniquitates nostras: et spiritum superbie et elationis cui resistis: et reple nos spiritu timoris: et da nobis cor contritum et humiliatum: quod non spernis: ut ad Sancta Sanctorum puris mereamur mentibus introire. Per Dominum nostrum **219** Jesum Christum filium tuum: qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus Sancti Deus: per omnia secula seculorum. Amen.

Et statim accedat ad altare: et faciat crucem super aram dicendo.

In nomine Pa ✠ tris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Et osculetur aram: et osculando eam dicat

Ant. Salve crux¹⁶ preciosa que in corpore Christi dedicata es: et ex membris ejus tanquam margaritis ornata: salva presentem catervam in tuis laudibus jugiter congregatam.

V\ Adoramus te Christe et benedicimus tibi.

R\ Quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum.

Oremus.

Oratio. Exaudi nos Deus salutaris noster: et per triumphum sancte crucis: a cunctis nos defende periculis. Per Christum.

Oratio.

Per virtutem sancte Crucis: et per intercessionem beate Marie Virginis: et beati Petri Apostolorum Principis: et omnium Sanctorum: absolve quesumus Domine nostrorum vincula

¹⁵ Haec oratio longe prolixior est illa quae in Missali Toletano legitur. Sacerdos accedit deinde ad altare et facit crucem super aram, eamque osculatur, dicendo Salve crux, etc.; additque aliquam ex subsequentibus orationibus, Exaudi, etc., Per virtutem, etc. 2° Extendit corporalia, et orat. 3° Mundat calicem et patenam, et orat. 4° Vinum aqua miscet in calice, et hostiam in patena collocat; imponitque calici, eamque filiola tegit, ac demum calicem et patenam in media ara collocat, et velo tegit.

¹⁶ Consuetudo vetusta erat crucem in ara aut collocare, aut suspendere, quam sacerdotes Gotho-Hispani, ad aram accedentes, salutare solebant. De cruce in ara collocata Sozomenus (Hist. Eccl. lib. II, cap. 3). Sanctus Gregorius Turonensis (De Mir. S. Juliani, cap. 43) scribit: Pendebat autem super ipsum altare crux holochrysa, etc.

delictorum: et quicquid pro eis meremur: propiciatus averte: et ad beneficia recolenda quibus nos instaurare dignatus es: tribue venire gaudentes. Per Christum.

Alia. Conscientias nostras.

Alia Oratio. Adsit nobis Domine.

Ad extendendum corporalia¹⁷ dicat Sacerdos.

¹⁷ Corporalia nec initio missae, neque a sacerdote olim extendebantur, sed, lecto Evangelio, ab Ecclesia iis quibus sacrificio interesse non licebat, diaconi pallium, quo eo usque tectum fuerat, de altari auferebant, et corporalia extendebant. Quis fidelium (inquit Optatus, lib. VI contra Parmenionem) nescit in peragendis mysteriis ipsa ligna altaris linteamine operiri? Oratio ad extendenda corporalia tum dicenda erat quando, altari composito, super oblata extendebatur coopertorium; nam et hoc etiam palla corporalis, et simpliciter corporale dicebatur. Palla illa corporalis, quae super altare extendebatur, syndon munda erat e puro lino texta, quae totam mensam altaris cooperiebat, et undequaque defluebat (S. Isid. Pelus., epist. 123, ad Dorotheum comitem; Greg. Turon., lib. VII Hist., c. 22; Optatus Milevitanus, lib. VI contra Parmen.; Ord. Rom. Mabill. II, n. 9). Postquam diaconi altari imposuissent corporalia, ritu Gallicano, et etiam, ut mihi credibile est, ritu Gotho-Hispano e sacrario prodibat diaconus corpus Domini in capsula, sive, ut Galli loquebantur, in turri deferens, illudque supra aram deponebat (S. Greg. Turon., de Glor. martyr., lib. I, cap. 86; S. Germanus, in libello Quomodo solemniter ordo Ecclesiae agitur, artic. de sono). Chorus canebat sacrificium, et episcopus cum presbyteris et diaconis oblationes populi accipiebat, panem scilicet et vinum; et primum quidem viri, incipiendo a dignioribus, tum feminae et demum presbyteri, diaconi et clerici offerebant, singuli suam oblationem deferentes. Panem accipiebant episcopus et presbyteri, quem in oblatorium deponebant, quod acolyti pone sequentes gerebant. Erat oblatorium sive offeritorium vas ingens ex argento, aut auro, aut cupro, aut certe, in Ecclesia Romana, erat syndon munda, quam extensam, ad excipiendos panes, acolyti deferebant; populus autem panes quos afferebant velo mundo tectos porrigebant, ne ipsi manibus impuris oblationem tangendo macularent. Velum illud fanon dicebant (Ord. Rom. I Hittorp.). Vinum autem accipiebant diaconi, et amulas, urceolosque, vasa scilicet in quibus populus vinum offerebant, in calicem majorem infundebant, quem subdiaconi ferebant, et cum calix ille plenus erat, illum in scyphum refundebant. Vinum Gotho-Hispani probum offerebant, non mustum, non acetum, et in vase mundo; panes quoque plerumque fermentatos, integros, mundos, ex optimo et candido frumenti polline factos offerre solebant, raro azymos. Oblatas vero, pro pane, nunquam (Conc. Tol. XVI, can. 6). At Mozarabes, aliarum Occidentis Ecclesiarum disciplinam secuti, pro fermentatis panibus oblatas azymas altari admoverunt. Post populum clerus, incipiendo a presbyteris, et demum episcopus omnium postremus afferebat, populus extra cancellos altaris, clerus in choro, aut in sanctuario oblationes porrigebat; omnes tamen ad altare offerre dicebantur. Diaconi ex tota oblatione tantum panis et vini seligebant quantum communioni sufficere videbatur, reliquum suis usibus seponebant. Et panem quidem in grandiori patena, sive disco, decenter compositum altari imponebant, vinum in grandiori calice aqua miscebant, et calicem iuxta discum statuebant, et aliquando plures discos et calices in altari collocabant. Gotho-Hispani enim et Mozarabes panem nunquam super corporale deponunt, sed semper in patena, sive disco retinent. Quare, quod ritu Romano fit, nec patenam sub corporali abscondunt unquam, neque subdiacono tenendam tradunt. Demum diaconi pallio amplo, et textura spisso, dona sacra ipsumque altare cooperiebant. Pallium hoc, quod plerumque sericum erat, et frequenter auro textum coopertorium et Pallam, et pallam corporalem appellabant (S. Isidorus, Off. lib. II, cap. 8; Gregor. Turon., Mir. S. Mart., cap. 25). Extat in Missali nostro (Fol. 219, col. 2) oratio ad extendendum corporalia quam diaconus dicebat cum coopertorio dona sacra tegebat; hujus autem orationis partem secundam tum, ut puto, dicebat cum coopertorium tollebat. Exstant etiam in Missali orationes ad offerendam hostiam cum calice, et quando ponit vinum in calice, quando ponit hostiam in patena et quando deponit calicem super altare, et filiola cooperit, etc. Sed revera hae orationes, quamvis in vetustissimis Codicibus harum aliquae, aut his simillimae reperiantur, Gotho-Hispanae non sunt, sed a Mozarabis postea adjunctae, nam sacerdos Gotho-Hispanus nec vinum in calicem fundebat, neque panem in patena collocabat, neque horum aliquid altari inferebat, quare credibile est oblationem munerum et compositionem altaris sine ulla oratione a Gotho-Hispanis et Gallis transactas esse, quemadmodum et Romae transigebantur, Ordinibus Romanis, et ipso Micrologo (Cap. 10) testibus; aut si apud Gotho-Hispanos oratio aliqua dicta est, a diacono potius quam ab episcopo dici debuit. Absoluta igitur munerum oblatione, sacerdos ad thronum redit, et manus lavat. Est hic ritus plane antiquus: de eo constitutiones apostolicae (Lib. 8, c. 11) et sanctus Cyrillus Hierosolymitanus (Cath. myst. 5) meminere. In Hispania diaconus

In tuo conspectu quesumus Domine hec nostra munera tibi placita sint: ut nos tibi placere valeamus: attollite portas principes vestras: et elevamini porte eternales: et introibit Rex glorie. Quis est iste Rex glorie? Dominus fortis et potens in prelio: Dominus virtutum ipse est Rex glorie.

Mundando calicem¹⁸ dicat.

Dignare Domine mundare vas istud¹⁹: in quo sumere preciosum sanctum²⁰ corpus tuum valeam. Qui cum Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas Deus per omnia secula seculorum.

Quando ponit vinum.

Misce quesumus Domine in calice isto quod manavit ex latere tuo: ut fiat in remissionem peccatorum nostrorum. Amen.

Benedictio aque.

Jube Domne benedicere

Dicat minister. Ab illo benedicatur: cujus Spiritus super aquas ferebatur. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen

Oratio.

Ex latere²¹ Domini nostri Jesu Christi sanguis et aqua exiisse perhibentur: hec ideo²² nos pariter commiscemus: (**infunditur aqua**) ut misericors Deus utrumque ad medelam animarum nostrarum sanctificare dignetur. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Quando ponit hostiam in patena dicat.

Benedictio Dei Pa ✠ tris omnipotentis et Filii et Spiritus Sancti: descendat super hanc hostiam tibi Deo Patri offerendam. Amen.

V\. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

R\. Qui fecit celum et terram.

R\. Sit nomen Domini benedictum.

R\. Ex hoc nunc et usque in seculum.

episcopo aquam lavandis manibus infundebat, subdiaconus vero presbyteris et diaconis aquam praebebat cum ad altare manus lavarent. Episcopus post haec ad altare redibat: finem canendo sacrificio imponebat, tum elata voce dicebat: Adjuvate me, fratres, in orationibus vestris, etc. Et ipse inclinatus versus altare dicebat, submissa voce, orationem Accedam ad te, etc., quam apologiam sacerdotis appellabant, qua absoluta, populum salutabat. Oratio Sub tuo conspectu, etc., ex duabus orationibus compacta videtur, quarum prima fortasse dicebatur cum diaconi palla tegerent oblata, in altari composita; altera, Attollite portas, tum dicebatur cum iidem, ante orationem post nomina, pallium attollerent quo munera operiebantur.

¹⁸ Adde et patenam, sive discum.

¹⁹ Lege vasa ista, calicem scilicet et discum.

²⁰ Lege sanguinem et corpus tuum valeam, etc.

²¹ Haec oratio exstat in sacramentario Moysacensi, apud Martenium (De ant. Eccl. Rit., tom. I, col. 540), ubi ad mistum inscribitur.

²² Scilicet vinum et aquam commiscemus. In Moysacensi Codice apud Martenium citatum illud haec deficit.

OMNIUM OFFERENTIUM²³.

Ad Missam

{Missa Sancti Iacobi Apostoli Fratris Sancti Iohannis²⁴}

Officium²⁵.

Hec dicit Dominus: ego tuli te et fui tecum: alleluja. Et interfeci omnes inimicos tuos alleluja.

P. Fecique tibi nomen grande: alleluja: alleluja.

V. Beatus vir qui timet Dominum: in mandatis ejus cupit nimis.

P. Feci.

V. Gloria et honor. [In cantu]

P. Per omnia²⁶ semper secula seculorum.

²³ Apud Mozarabes liber omnium offerentium inscribitur Missale minus, orationes quasdam et alia nonnulla continens, quae communiter ab omnibus sacerdotibus missae sacrificium offerentibus dici solent; et hinc fortasse denominationem sortitus est. Liber hic, dum Evangelium legitur, in altari a cornu Epistolae ponitur, atque, ut opinatur Pisa, omnium offerentium dictus est ab illis vocibus quae in oblatione calicis dicuntur: Et omnium offerentium peccata indulge.

²⁴ Missa sancti Iacobi ponitur tanquam exemplum missae Mozarabicae.

²⁵ Regum II, VII, 9. V. Psal. CXI, 1. Officium est cantus ille, quem vetusta consuetudine Ecclesia Gotho-Hispanica divinorum mysteriorum celebrationi praemittebat, in Missali Mozabarum, et in Missali Toletano, aut simpliciter officium, aut certe officium ad missam denominatur, qua appellatione in Missali Carthusianorum, teste P. Le Brun, et in Pontificali Arelatensi, teste Martenio (De ant. Eccl. Rit., l. IV, c. 15) denominatur; apud Gallos aut praelegere aut antiphona ad praelegendum dicitur, teste sancto Germano Parisiensi (Thes. novus anecdot., t. V, col. 91). In Missali Ambrosiano ingressa, in Ecclesia Romana introitus, vel antiphona ad introitum, ab aliis invitorium, ab Amalario (De eccl. Off., l. III, c. 5) describitur officium quod dicitur introitus missae. Constat hoc officium apud Mozarabes antiphona, versu, psalmo et Gloria; additur alleluia iis temporibus quibus canitur. Officium ad missam bis profertur, semel ante Gloria et honor, et iterum post Gloria et honor. A Coelestino primo cantum ante initium missae institutum tradunt qui de rebus liturgicis scripserunt, quibus praeivit liber Pontificalis, in Coelestino: Hic constituit, ut psalmi David centum quinquaginta ante sacrificium psallerentur antiphonatim ab omnibus, quod antea non fiebat, sed tantum Epistolae Pauli recitabantur, et sanctum Evangelium, scilicet, ut interpretantur, ante Coelestinum missa a lectione Scripturarum incipiebat, quemadmodum adhuc apud Mozarabes, diebus jejunii, incipit; ille autem instituit ut cantus psalmodum antiphonatim lectioni Scripturarum praemitteretur. In Africa, sancti Augustini aevo, missam a Scripturarum lectione etiam diebus Dominicis incepisse, ex iis quae sanctus doctor (libro XXII de Civ. Dei, cap. 8) scribit em. Thomasius (Disquis. de antiph. ad introitum missae) animadvertit; alii autem cantum psalmodum ante initium missae, dum populus conveniret, et Pontifex ad altare procederet, instituisse sanctum Coelestinum concedunt. Antiphonas autem ad introitum missae, eo ferme ordine quo modo canuntur sanctum Gregorium digessisse (Bona, Rer. liturg. l. II, c. 3). Sed quidquid sit de Ecclesia Romana, Hispanos ante Coelestini tempora missam cantu incoepisse suadet officium ad missam quod die Epiphaniae canitur, quodque manifeste ad ea tempora pertinet quibus baptismus solemniter die Epiphaniae conferebatur, ut supra, pag. 59 (ver la advertencia en la nota 1 acerca de las referencias a números de página), notavi, quo etiam spectat sacrificium quod pridie in missa canitur: Vos qui transituri estis Jordanem, etc. Et sane, cum priscorum Patrum auctoritate et Plinii secundi (Lib. X, epist. 103) testimonio constet fideles olim in sacris conventibus psalmos et hymnos cantasse, ad quam consuetudinem alludere videtur Apostolus (I Cor. XIV; Ephes. V), non video cur tam sero, hoc est saeculo V, psalmos ante initium sacrificii canere coeperint, cum aptissimus sit psalmodum cantus ad populum, dum in ecclesiam convenitur, pie detinendum, et hinc fortasse Dionysius ille, quisquis tandem sit, vetustus scriptor (Eccles. Hierar. cap. 3, n. 2) statim post thuris incensum missam a psalmodum cantu orditur.

²⁶ Postquam finis canendo officio ad missam factus est, sacerdos in medio altaris canit Per omnia semper saecula saeculorum, et statim pariter canendo subdit Gloria, reliqua vero prosequitur chorus. Hanc acclamationem liturgicam Per omnia, etc., antiquissimam esse, ex sancto Irenaeo (Advers. Haer. lib. I, cap. 3) constat. In missa Romana praemittitur praefationi. Adverte discrimen inter Romanum et Gotho-Hispanum hymnum, hi enim per omnia SEMPER saecula saeculorum canunt. Origo hymni Gloria in excelsis (qui hymnus Angelicus, et a Graecis Doxologia magna denominatur) e coelo est; angeli enim primam ejus partem in Nativitate Domini cantarunt,

R Amen

Gloria.

221. *Et prosequatur a choro usque in fin. per totum annum preter in adventu Domini in Quadrag. et in diebus feriis.*

In excelsis Deo.
Et in terra pax hominibus bone voluntatis.
Laudamus te.
Benedicimus te.
Adoramus te.
Glorificamus te.
Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam.
Domine Deus Rex celestis: Deus Pater omnipotens.
Domine Fili unigenite Jesu Christe.
Domine Deus agnus Dei Filius Patris.
Qui tollis peccata mundi: miserere nobis.
Qui tollis peccata mundi: suscipe deprecationem nostram.
Qui sedes ad dexteram Patris: miserere nobis.
Quoniam tu solus Sanctus.
Tu solus Dominus.
Tu solus altissimus Jesu Christe.
Cum Sancto Spiritu in gloria Dei Patris.
Amen.

Dicat iterum. Per omnia semper secula seculorum.

R Amen

Oratio. *Christe cujus virtus atque potentia tantum in Apostolo tuo Jacobo emicuit: ut in nomine tuo emissis se²⁷ demoniorum catervis: potentialiter meruerit imperare: tu Ecclesiam tuam ab adversantium impugnatione defende: virtute Spiritus exuperando adversa: ut illius doctrine opere compleat: cujus hodie exempla pie passionis honorat.*

reliqua, inquit Patres Conc. Tol. IV (Can. 12), ecclesiastici doctores adjecerunt. Plerumque sancto Hilario Pictaviensi tribuuntur, at an ipse composuerit, an e graeco in Latinum transtulerit, non est adeo certum. Consuetudine vetusta in Hispania canebatur hymnus Angelicus, ut concilium Toletanum IV (Can. 12) aperte innuit, canebatur autem non solum Dominicis diebus, sed quibuscunque festivitibus, ut Etherius et Beatus (L. I, advers. Elip.) scribunt; quare recentioris instituti apud Mozarabes est, quod tempore Adventus et Quadragesimae, diebus Dominicis hymnus Angelicus omittatur. Hymnus Angelicus canebatur pariter in Gallia, ut ex Sacramentario Bobiano (Pag. 281, 282) constat, ubi integer legitur, et adduntur binae orationes, quarum una, de more, post hymnum recitabatur. Absoluto hymno, sacerdos iterum dicit Per omnia semper saecula saeculorum, et Diaconus olim clamabat Oremus, et tum sacerdos orationem fundebat; modo autem, silente diacono, sacerdos, omissa solemnem admonitionem Oremus, orationem dicit, quae omnibus diebus Dominicis Adventus eadem est, Deus, qui per angelicos choros; Dominicis post octavam Epiphaniae ad Quadragesimam usque, Te excelsa laus in altissimis decet; Dominicis Quadragesimae, Audiant simul te, Domine, omnes gentes; ex Dominicis a Paschate ad Pentecosten, Tibi gloriam concinimus; a Pentecoste ad Adventum, Tibi gloriam concinimus. In missis sanctorum, et in festivitibus Domini aut beatae Virginis, haec oratio frequenter peculiaris est ejus diei, alludens ad festum quod celebrant.

²⁷ Lege missis ad se. Confer Pseudo-Abdiam (Hist. apost. lib. IV).

R\ Amen.

222 **Dicat Presb. in medium altaris.** Per misericordiam²⁸ tuam Deus noster qui es benedictus: et vivis et omnia regis in secula seculorum.

V\ Dominus sit semper vobiscum.

R\ Et cum spiritu tuo.

Lectio²⁹ libri *Sapientie Salomonis* (Cap. III³⁰).

R\ Deo gratias.

Justus si morte preoccupatus fuerit: anima ejus in refrigerio erit. Senectus enim venerabilis est: non diuturna neque annorum numero computata. Cani sunt autem sensus hominis: et etas senectutis: vita immaculata. Placens Deo factus dilectus: et vivens inter peccatores translatus est. Raptus est: ne malicia mutaret intellectum ejus: aut afflictio³¹ deciperet animam illius. Fascinatio enim nugacitatis obscurat bona: et instantia concupiscentie transvertit sensum sicut malicia³²: consumatus in brevi explevit tempora multa. Placita enim erat Deo anima illius: propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum. Populi autem

²⁸ Absoluta oratione post hymnum Angelicum, sacerdos dicit per misericordiam, ac tum populum salutatur dicendo Dominus sit semper vobiscum, et ab omnibus olim, modo a choro aut a ministro, respondetur Et cum spiritu tuo. Mos idem salutandi et respondendi in Gallia vigeat, ut auctor est sanctus Germanus in Explicatione missae Gallicanae: Sacerdos benedicit plebem dicens DOMINUS SIT SEMPER VOBISCUM, et ab omnibus benedicitur ET CUM SPIRITU TUO. Concilium Bracarense I (Cap. 3) statuerat ut episcopi et presbyteri populum eodem modo salutarent dicentes Dominus sit vobiscum. Sed fatendum est aut vocem semper in hoc decreto olim lectam fuisse, aut decretum contrario usu fuisse abrogatum.

²⁹ Apud Gotho-Hispanos, ut ex sancto Isidoro (Ep. ad Ludifred.) et ex Missali nostro eruitur, lectiones tres e Sacra Scriptura cunctis diebus Dominicis, et festis, et ferialibus per annum in missa legebantur: una e veteri Scriptura, quam prophetiam appellabant; binae e Novo Testamento, quarum una dicebatur Epistola, aut Apostolus; altera Evangelium. Diebus vero Dominicis, dempta prima, et ferialibus Quadragesimae, diebusque jejunii quatuor, in missa, recitabantur lectiones, binae e Veteri, binae e Novo Foedere. Est tamen notandum, quod a Paschate ad Pentecosten nullae sunt lectiones e Scriptura Veteris Testamenti, sed prima lectio ex Apocalypsi depromitur, quae ex decreto concilii IV Toletani (Can. 17) hoc tempore legitur. Gallos quoque tres olim in missa legisse lectiones diebus Dominicis et ferialibus per annum, quarum una ex Antiquo Testamento, binae e Novo, suadent Lectionarius Gallicanus, et Sacramentarium Bobianum, a nunquam satis laudando Mabillonio edita. Consuetudo quoque Gallorum erat, pro veteri Scriptura, Apocalypsim tempore Paschali legere; solebant etiam, diebus festis sanctorum, pro prima lectione, Acta eorum legere: hinc in Lectionario Luxoviensi hujusmodi diebus binae plerumque assignantur lectiones. Haec satis constant; minus certum est an diebus jejunii mos Ecclesiae Gallicanae fuerit tres lectiones in missa legendi, an potius quatuor: de qua re aliqua jam in praefatione notavi. Romae autem, paucis quibusdam diebus exceptis, duas tantum in missa lectas esse lectiones vetusta omnia Lectionaria, et Capitularia comprobant. Porro lectoris erat prophetiam (ita primam lectionem appellant) legere, ut aperte sanctus Isidorus (Epist. ad Ludifredum Cordubensem) docet. Igitur, absoluta prima oratione, quae post cantatum hymnum angelicum Gloria in excelsis Deo, etc., funditur, sacerdos, more consueto, populum salutatur, tum lector de loco superiore prophetiam, voce clara, legebat, et primum libri titulum pronuntiabat, pura lectio libri Exodi, aut dicendo lectio Isaiae prophetae, et deinde textum legebat. Populus autem, audito libri titulo statim respondebat Deo gratias, et facto silentio, atque signo crucis fronte praesignato, attente audiebat (S. Isid. Offic. l. I, c. 10, et l. II. c. 11). Lectione autem absoluta, populus amen dicebat.

³⁰ Vers. 7-15. Eadem prophetia quae in festo sancti Clementis legitur.

³¹ Afflictio. Vulg., aut ne fictio.

³² Vulg., sine malitia.

videntes: et non intelligentes: nec ponentes in precordiis suis talia. Quoniam misericordia Dei et gratia in sancto illius: et respectus in electo ipsius.

R\. Amen.

Iterum dicat. Dominus sit semper vobiscum.

R\. Et cum spiritu tuo.

[In cantu]

Hymnus³³ trium puerorum.

Angelus Domini similiter descendit cum Anania et sociis ejus in fornacem. Et excussit flammam ignis de fornace: et fecit medium fornacis: tanquam spiritus roris flantem. Et non tetigit eos omnino ignis: nec contristavit: nec quicquam moleste eis intulit. Tunc illi tres quasi ex uno ore laudabant: et magnificabant: et benedicebant Dominum de fornace dicentes. Domine Deus patrum nostrorum et laudabilis es et superexaltatus in secula. Amen. **[In cantu]**

Benedicite omnia opera Domini Domino hymnum dicite et super exaltate eum in secula. Amen. Benedicite Anania. Azaria. Misael Dominum. Hymnus. Quia eripuit nos Deus ab inferis: et de manu mortis salvavit nos: et eripuit nos de medio camino ardentis: flamen in medio ignis eduxit nos.

Dicat Presb. Confitemini Domino quoniam bonus quoniam in seculum misericordia ejus.

R\. Amen.

V\. Dominus sit semper vobiscum.

R\. Et cum spiritu tuo.

Tunc cantent. Psallendo³⁴.

Posuisti Domine super caput ejus: coronam de lapide pretioso.

V\. *Super salutare tuum Domine exultabit vehementer: desiderium anime ejus tribuisti ei: et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum.*

P. *Coronam.*

Dicat diaconus. Silentium facite.

Hic 223 ponat vinum in calice dum dicitur epistola.

³³ Sic in Lectionario Luxoviensi, n. 8, Daniel cum benedictione legitur. Haec enim indicant hymnum trium puerorum; qui non modo in Gallia (S. Germ. in Explic. missae), sed etiam in Hispania in omnium missarum solemnitate de pulpito canebatur ex decreto concilii IV Toletani (Can. 14). Canebatur autem tam a Gallis quam a Gotho-Hispanis antequam Apostolus legeretur. Plura in libris liturgicis exstant hujus hymni exemplaria, quorum vix unum occurrit quod cum alio perfecte, quoad voces, conveniat, etsi omnia, quoad sensum, e capite octavo Danielis deprompta sint; et advertit hymnum integrum hic non exstare, sed ea tantum quae ad rite canendum hymnum necessaria videbantur, adjectis notis musicis, apponi. Absoluto hymno trium puerorum, canebatur psalmus centesimus quintus, confitemini, cujus primum versum sacerdos canebat, reliqua psalmistae et populus.

³⁴ Ps. XX, 4. V\. Ibid. 2, 3. Vide notam pag. 72.

Lectio *Actuum Apostolorum* (Cap. XI³⁵).

R\ Deo gratias.

In illis autem diebus: supervenerunt ab Hierosolymis prophete Antiochiam. Et surgens unus ex eis nomine Agabus: significabat per spiritum famem futuram magnam in universo orbe terrarum: que facta est sub Claudio. Discipuli autem prout quisque habebat: proposuerunt singuli in monasterium³⁶ mittere habitantibus in Judea fratribus. Quod et fecerunt: mittentes ad seniores per manus Barnabe et Sauli. Eodem autem tempore: misit Herodes Rex manus: ut affligeret quosdam de Ecclesia. Occidit autem Jacobum fratrem Johannis gladio. Videns autem quia placeret Judeis: apposuit apprehendere et Petrum. Erant autem dies azimorum. Quem cum apprehendisset: misit eum in carcerem: tradens quatuor quaternionibus militum ad custodiendum: volens post pascha producere eum populo.

R\ Amen.

Ante Evangelium dicat Sacerdos. Oratio. Conforta me Rex Sanctorum summum tenens principatum: da sermonem rectum et bene sonantem in os meum: ut placeam tibi et omnibus circumstantibus.

Inclinet se in medium altaris: et dicat. Jube Domne benedicere. Dominus sit in corde meo et in ore meo et in labiis meis: ad pronunciandum sanctum Evangelium divinum.

Diachonus vero dicat. Munda cor meum corpusque ac labia mea: omnipotens et misericors Deus: qui labie Esaye prophete calculo mundasti ignito. Ita et me tua gratissima miseratione mundare digneris: ut sanctum Evangelium valeam nunciare. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Quando petit benedictionem a Sacerdote. Jube domine benedicere

Dicat Sacerdos. Corrobores³⁷ Dominus sensum tuum ac labia tua: ut recte pronuncies nobis eloquia sancta sua.

Dicat Presbiter. Dominus sit semper vobiscum.

R\ Et cum spiritu tuo.

Lectio sancti Evangelii secundum *Marcum* (Cap. X³⁸).

R\ Gloria tibi Domine.

³⁵ Vers. 27; XII, 1-5.

³⁶ Lege cum Vulgata in ministerium. De epistola vide notam pag. 77.

³⁷ Eadem benedictio ad Evangelium legitur in Codice Moysacensi (Marten., *ibid.*, col. 539).

³⁸ Vers. 32-46. De Evangelio vide notam pag. 78, et adde quod sacerdos, missam privatam celebrans, antequam Evangelium legat, dicit orationem Conforta me, Rex sanctorum, etc. Tum inclinatus, in medio altaris, dicit Jube, Domne, etc. (Pag. 219).

In illis diebus. Assumens iterum Jesus duodecim: cepit illis dicere: que essent ei ventura. Quia ecce ascendimus Hierosolymam: et filius hominis tradetur in manus principibus Sacerdotum et scribis et senioribus. Et condemnabunt eum morte: et tradent eum gentibus: et illudent ei. Et conspuent eum: et flagellabunt eum: et interficient eum: et tertia die resurget. Et accedunt ad eum Jacobus et Johannes filii Zebedei dicentes. Magister volumus: ut quodcumque petierimus: facias nobis. At ille dixit eis: quid vultis ut faciam vobis? Et dixerunt. Da nobis ut unus ad dexteram tuam et alius ad sinistram: sedeamus in gloria tua. Jesus autem dixit eis. Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? Aut baptismo quo ego baptizor baptizari? At illi dixerunt. Possumus. Calicem quem ego bibo bibetis: et baptismo quo ego baptizor baptizabimini. Sedere autem ad dextram meam vel sinistram: non est meum dare vobis: sed quibus paratum est. Et audientes decem: indignati sunt de Jacobo et Johanne. Jesus autem vocans eos: ait illis. Scitis quia hi qui videntur principari gentibus: dominantur eis: et principes eorum potestatem habent ipsorum. Non ita est in vobis. Quicumque voluerit fieri major erit minor: et quicumque voluerit in vobis primus esse erit omnium servus. Nam et filius hominis non venit ut ministraretur ei: sed ut ministraret: et daret animam suam redemptionem pro multis.

R\. Amen.

Quando osculatur Evangelium. Dicat Presb. Ave Verbum divinum: reformatio virtutum: restitutio sanitarum.

Dicat Presb. Dominus sit semper vobiscum.

R\. Et cum spiritu tuo.

Lauda.³⁹

Alleluja. V\. Ecce servus meus suscipiam eum: electus meus complacuit sibi in illo anima mea.

Tunc offerat⁴⁰ **Sacerdos hostiam.**

³⁹ Isaiae XLII, 1. Ex decreto concilii IV Toletani (Can. 12) lauda non canitur ante Evangelium; sed nunquam post Evangelium omittitur. Constat ex Alleluia et versiculo, qui ut plurimum e psalmis desumitur, et deinde repetitur alleluia. Hinc sanctus Isidorus (Off. lib. I, c. 13) laudas idem esse dixit ac alleluia; attamen tempore Quadragesimae sine alleluia canitur lauda.

⁴⁰ Occurrunt hic oppositae rubricae; nam haec rubrica praescribit ut, salutato populo, tunc offerat sacerdos hostiam, et deinde signatur lauda dicenda; at pag. 2 alia rubrica habet: interim dum chorus dicit ALLELUIA, offert sacerdos hostiam cum calice cum orationibus quae sequuntur. Demum, infra, rubrica praescribit: Et dum canitur sacrificium, offerat hostiam in calicem [lege et calicem] cum orationibus quae sequuntur. Ad hunc nodum dissolvendum ritus antiquus Gotho-Hispanus a recentiori Mozarabico ritu distinguendus est, et rursus ritus Mozarabicus missae privatae distinguendus est a ritu missae sollemnis. Igitur ritu antiquo dum canebatur sacrificium, populus et clerus sua munera offerebat, panem scilicet et vinum, et munera altari inferebantur (Vide notam pag. 119). Ritu vero Mozarabico cum missa sollemnis celebratur, sacerdos offert hostiam et calicem, orationesque consuetas dicit, et interim chorus canit laudam; at quando missa privata celebratur, sacerdos primum dicit laudam, deinde offert hostiam et calicem; cum autem offert hostiam, dicit acceptabilis sit Majestati tuae, etc. (Pag. 219). Oratio legitur in Codice Narbonensi, et in Moysacensi, sed recentiori manu, ante sexcentos annos exarata (Marten., de ant. Eccl. Rit., t. I, col. 540), et quando calicem offert, dicit Offerimus tibi, Domine, etc. (Pag. 219), quae habetur in citato Sacramentario Narbonensi et in Moysacensi, in quo tamen per oscitantiam amanuensis irrepsit Christi Filii tui sanguinem, cum tam in nostro quam in Narbonensi legatur Christi Filii tui

Postea dicat [In cantu] Deo gratias⁴¹.

Sacrificium⁴².

Fulgebit justus sicut splendor firmamenti: et sicut stelle celi dantes claritatem lucis: ita et justus splendet.

Vl. In perpetua eternitate.

Et dum cantatur sacrificium: offerat hostiam in calicem cum orationibus que sequuntur.

Oratio⁴³. Acceptabilis sit majestati tue omnipotens eterne Deus hec oblatio: quam tibi offerimus pro reatibus et facinoribus nostris: et pro stabilitate sancte Catholice et Apostolice Ecclesie et fidei cultoribus. Per Christum etc. In nomine Pa ✠ tris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Dimittendo patenam super corporales. Deinde accipiat calicem sanctificando sic.

In nomine Pa ✠ tris et Filii et Spiritus Sancti Amen.

Oratio. Offerimus tibi Domine calicem: ad benedicendum sanguinem Christi Filii tui: deprecamur quesumus clementiam tuam: ut ante conspectum divine Majestatis tue cum odore suavitatis ascendat. Per eundem.

Ponat calicem super aram et accipiat filiolum sine sanctificatione et ponat super calicem dicendo.

Oratio. Hanc oblationem quesumus Domine placatus admitte: et omnium offerentium et eorum pro quibus tibi offertur peccata indulge. Per Christum.

calicem. Calicem deinde in aram deponit, eumque filiolum, hoc est palla, quam Hispani « hijuela » dicunt, tegit, additque orationem Hanc oblationem, etc., quae in Moysacensi Sacramentario, ante annos octingentos exarato, legitur sub hoc titulo: quando panem et vinum super altare ponit, apud Martenium (Ibid., col. 539); et animadvertendum ibidem legi et omnium offerentium, ET eorum pro quibus offertur peccata indulge, ut in Missali nostro, pag. 220, legitur; at pag. 3, et rursus pag. 223, illud ET Missali nostro excidisse. Demum inclinando se in medio altaris dicit In Spiritu humilitatis et reliqua, quae pag. 2 integra leguntur, additurque Veni sancte Spiritus sanctificator, etc. (Ibid.), quod teste Micrologo (Cap. 2), juxta ordinem Gallicanum recitatur; caeterum pag. 220, dicit: Domine Deus omnipotens, etc. De oratione Veni Spiritus sancte sanctificator silet.

⁴¹ Illud Deo Gratias ad laudem non spectat, sed suo loco motum hic casu positum est. Adjiciuntur notae musices, ut sciant quomodo canendum, si quando opus fuerit.

⁴² Sacrificium in ordinibus Romanis offertorium, in Antiphonario Gregoriano antiphona ad offerenda appellatur. Sanctus Isidorus, in epistola ad Ludifr., sacrificium; at libro I de ecclesiasticis Officiis (Cap. 14) numero multitudinis offertoria dixit. A Gallis sonus dicebatur.

⁴³ Ad hostiam offerendam. Oratio. Acceptabilis sit majestati tue omnipotens Deus: hec nostra oblatio quam tibi offerimus: pro reatibus et facinoribus nostris: et pro stabilitate sancte Catholice et Apostolice Ecclesie. Per Christum Dominum nostrum. Amen. Ad offerendum Calicem. Oratio. Offerimus tibi Domine: Jesu Christi filii tui calicem: humiliter implorantes clementiam tuam: ut ante conspectum Divine majestatis tue: cum odore suavitatis ascendat. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen. Ad ponendam filiolum. Oratio. Hanc oblationem quesumus omnipotens Deus placatus accipe: et omnium offerentium: et eorum pro quibus tibi offertur peccata indulge. Per Christum.

Junctis manibus inclinando se hic dicat. In spiritu humilitatis et in animo contrito suscipiamur, Domine, a te, et sic fiat sacrificium nostrum, ut a te suscipiamur hodie, ut placeat tibi Domine Deus.

Veni Sancte Spiritus sanctificator, sanctifica hoc sacrificium de manibus meis tibi preparatum.

Inclinet se junctis manibus et dicat hanc orationem. Domine Deus omnipotens Pater: bene ✠ dic et sanctifica hoc sacrificium laudis: quod tibi oblatum est ad honorem et gloriam nominis tui: et parce peccatis populi tui: et exaudi orationem meam: et dimitte mihi omnia peccata mea. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Benedictio incensi⁴⁴. Jube Domine benedicere. Ab illo benedicatur: in cujus honore cremabitur. In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen.

Incensando dicat Sacerdos.

Oratio. Placare Domine per hoc incensum mihi et populo tuo: parcens peccatis nostris: et quiescat ira et furor tuus: presta propicius: ut bonus odor simus tibi in vitam eternam. Amen.

Postea incliniet se Sacerdos in medium altaris junctis manibus, et dicat alta voce [In cantu]:

Adjuvate me, fratres, in orationibus vestris, et orate pro me ad Deum.

Chorus respondeat:

Adjuvet te Pater et filius et Spiritus Sanctus.

{Sacerdos dicat Sacrificium}.

Deinde vertat se ad populum et faciat offertorium si voluerit.

⁴⁴ Usus thuris in Ecclesia Dei vetustissimus est, et a Malachia propheta (Cap. I, 2, juxta LXX) praedictus: Ἐν παντὶ τόπῳ θυμίαμα προσφέρεται τῷ ὀνόματί μου καὶ θυσία καθαρά, ut sanctus Justinus in dialogo cum Tryphone legit: In omni loco thymiama offertur nomini meo et sacrificium mundum. Hinc in omnibus Orientalium liturgiis thus et thuribulum tam frequenter recurrit, templum enim et altare, dona sacra, Evangelium, sacras imagines, sacerdotes, presbyteros, clerum et populum, mortuorumque fidelium cadavera thurificare solent. Praeter liturgias, vide sanctum Basilium (Hom. de S. Gordio martyre), sanctum Ephrem (In Testamento suo), Dionysium Areopagitam, sive alium auctorem (De ecclesiastica Hierarchia, cap. 3), canones apostolorum (Can. 3), etc. In occidente Thus in funeribus adhibebatur (Tert., Apol. cap. 40). Thuribulum sacerdotem praecedebat cum ecclesiam sacrificaturus adiret. Ordo Romanus primus Hittorpii, de processione pontificis e secretario ad aram describens: Tunc ministri, cum thymiamaterio et thuribulis, non amplius ternis, procedunt ante ipsum pontificem, mittentes incensum. Paulus diaconus Emeritensis (De Vitis Patr. Emeritens., cap. 6), de Fidele episcopo Emeritensi agens: Moxque ille consurgens, diaconibus ex more huribula gerentibus, et ante eum praecedentibus, cum universis qui aderant, ad ecclesiam perrexit, quatenus, Deo adjuvante, missarum solemnias celebrarent, etc. Thus quoque praecedebat Evangelium ab altare ad ambonem procedens, et ab ambone ad altare rediens (Ord. Rom. citatus, et Micrologus, cap. 9). In quibusdam Ecclesiis altare thurificabant, et oblata. Testis est sanctus Ambrosius, in Lucam (Lib. I, cap. 1): Atque utinam nobis quoque adolentibus altaria, sacrificium deferentibus assistat angelus. Imo praebeat se videndum; non enim dubites assistere angelum quando Christus assistit, quando Christus immolatur. Porro quotiescunque incensum thuribulo imponeret, sacerdos illud prius benedicebat. Harum benedictionum formulae plures apud Martenium leguntur (De ant. Eccl. Ritib. tom. I, l. II, cap. 4, art. 12), inter quas (Pag. 532) est haec in Pontificali Prudentii Trecensis episcopi: Hoc incensum ad omnem putorem nocivum exstinguendum Dominus benedicat, et in odorem suavitatis suae accendat.

Postea offerat⁴⁵ populus: Ad offertorium populi dicat Sacerdos offerenti.
Centuplum accipias: et vitam eternam possideas in regno Dei. Amen.

Benedictio panis.

V\ Adjuutorium nostrum in nomine Domini.

R\ Qui fecit celum et terram.

R\ Sit nomen Domini benedictum.

R\ Ex hoc nunc et usque in seculum.

⁴⁵ Hoc loco tria simul congeruntur quae distinguenda sunt, et eo ordine a sacerdote ad altare peraguntur, quo hic recensentur. Primum igitur sacerdos thurificat oblata; deinde petit auxilium fidelium, dicendo, Adjuvate me, fratres, etc., ac tertium, versus ad populum, eorum dona et oblationes suscipit. De thure rubrica (Pag. 3) praescribit: Hic sacerdos ponat incensum in thuribulo, etc. Incenset sacrificium, si placuerit. Gotho-Hispanos thus in ecclesia incendisse sanctus Isidorus clare innuit, cum in epistola ad Ludifredum Cordubensem, incensi praeparationem thesaurario et curam incensi archidiacono commisit (Vide notam ad pag. 220). Haud puto tamen eos incensum arae admovisse. Mozarabes quoque de thure ad aram incendendo nihil certi statuisse haec rubrica ostendit, qua thurificare oblata, aut a thure abstinere arbitrio sacerdotis permittitur. Ecclesia Romana vero ad altare thus inferre permisit. Amalarius, in fine secundae praefationis ad librum de ecclesiasticis Officiis, de Ecclesia Romana scribit quod post Evangelium non offerunt incensum super altare. Nec de thurificatione oblatores ulla fit mentio in ordinibus Romanis primo et tertio. Imo Micrologus, qui saeculo XI scripsit (De eccl. Observ., cap. 9), animadvertit quod ordo Romanus praecipit ut incensum semper praecedat Evangelium, cum ad altare sive ad ambonem portatur, non autem concedit ut oblatio in altari thurificetur, quamvis modo a pluribus, imo pene ab omnibus, usurpetur. Postquam oblata thurificavit, rubrica (Pag. 3) praescribit ut sacerdos inclinet se in medium altaris junctis manibus, et dicat alta voce ADJUVATE ME, FRATRES, etc. De hac, aut ejusdem significationis, oratione mentio recurrit apud Amalarium, apud vulgatum Alcuinum, in ordinibus Romanis, in missa Illyrici, et passim in vetustis libris Missalibus. Apud Gotho-Hispanos, ut opinor, sacerdos, prius quam apologiam oraret, dicebat Adjuvate me, fratres, et dum ille pro se, populus etiam pro eo orabat; at Mozarabes haec ita diviserunt, ut Adjuvate me, etc., diceretur post oblationem elementorum, apologia vero post manuum lotionem. Demum tertium quod distinguendum erat ad oblationem populi spectat, de qua rubrica (Pag. 3) haec habet: Et sacerdos vertat se ad populum, et faciat offertorium, si voluerit. Duplex antiquitus distinguebatur populi oblatio, alia panis et vini in usum sacrificii, alia pecuniae, aut earum rerum quae alimento cleri et pauperum inserviebant: utrumque hoc oblationis genus frequenter scriptores ecclesiastici commemorant et distinguunt. De secundi generis oblationibus concilium primum Bracarense (Can. 21, alias 39) statuit ut quae fideles per festivitates martyrum, aut per commemorationem defunctorum, obtulerant, apud quemdam clericum deponantur, et semel aut bis in anno inter clericos dividantur; nam non modica ex ipsa inaequalitate discordia generatur, inquit Patres, si unusquisque sibi attribuere voluerit quod in sua septimana oblatum fuerat. Sanctus Isidorus (epist. ad Ludifredum Cordubensem) curam hanc archidiacono attribuit: Collectam pecuniam de communione ipse, archidiaconus, accipit, et episcopo defert, et clericis proprias partes idem distribuit. Concilium Emeritense, anno 666 celebratum, (Cap. 14) statuit ut pecunia communicationis tempore a fidelibus oblata fideliter collecta episcopo praesentetur, et in tres partes dividatur, quarum una cedat episcopo, alteram presbyteri et diacones consequantur, quam inter se, ut dignitas et ordo poposcerit, dividant, tertia subdiaconis et clericis distribuatur. Hanc pecuniam in altario oblatam esse discutunt canones 14 et 15 concilii I Aurelianensis; non quod in altare deposita fuerat (quanquam hoc aliquando contigisse non negaverim), sed quia per manus sacerdotum Deo fuerat oblata. Apud antiquos non invenio quo tempore, et an omnino tempore sacrificii, pecuniam, vestem, aliasque res in usum pauperum et cleri offerre mos erat. Concilium Emeritense docet Gotho-Hispanos tempore communicationis pecuniam obtulisse, et sanctus Isidorus hanc collectam de communione pecuniam dicit. Num forte illis in more positum erat pecuniam offerre, cum ad accipiendum corpus Domini accederent? Sane concilium Compostellanum, anno 1056, nondum abrogatis ritibus Gotho-Hispanis, celebratum, statuit ut per omnes communionem majores Nativitatis Domini, Paschae et Pentecostes, quisquis de quo habuerit offerat. Sacerdos igitur post dictum Adjuvate me, fratres, etc., convertit se ad populum, et si quis voluerit pecuniam aut alia quaelibet offerre, accedens offert sacerdoti, qui, offerenti beneprecatus, ait: Centuplum accipias, et vitam aeternam possideas in regno Dei, et ille, deosculans stolam sacerdotis, recedit, et alteri offerenti locum dat. Interim canitur sacrificium juxta rubricam (Pag. 5). In Gallia, recentiori aevo, ejusmodi oblationes faciendae erant antequam legeretur Evangelium (Hincmar., cap. I, c. 16; Regino, Discip. eccl. I, c. 72).

Oratio. Bene ✠ dic Domine creaturam istam panis: sicut benedixisti quinque panes in deserto: ut omnes gustantes ex eo recipiant sanitatem tam anime quam corporis. Per Christum.

Bene ✠ dictio Dei Patris omnipotentis: et Filii: et Spiritus Sancti: descendat super hunc panem: et super omnes ex eo comedentes.

Ad lavandum manus. Lavabo inter innocentes manus meas: circumdabo altare tuum Domine: ut audiam vocem laudis tue: et enarrem universa mirabilia tua. Ne perdas cum impiis Deus animam meam: et cum viris sanguinum vitam meam.

224 Hic accipiat aquam⁴⁶ in manibus: et dicat silentio super oblationem cum tribus digitis.
In nomine Patris ✠ et Filii et Spiritus Sancti regnas Deus in secula seculorum.

R\ Amen.

Inclinet se Sacerdos ante altare et dicat silentio istam orationem.

Oratio. Accedam ad te in humilitate spiritus mei: loquar ad te quia multam spem in fortitudine dedisti me. Tu ergo fili David qui revelato mysterio ad nos in carne venisti: clave crucis tue: secreta cordis mei aperi: mittens unum de Seraphin: qui candenti carbone illo: qui de altari tuo sublatus est: sordentia labia ✠ (**signat os**) mea emundet: mentem ✠ (**signat frontem**) enubilet: docendique materiam ✠ (**a fronte ad pectus se signat**) subministret: ut lingua que proximorum utilitati per charitatem servit: nec erroris insonet casum: sed veritatis resultet sine fine preconium. Per te Deus meus: qui vivis et regnas in secula seculorum. Amen.

⁴⁶ Nimirum post susceptas oblationes sacerdos manus lavat. Ritus lavandi manus ad altare est plane antiquus: de eo sanctus Dionysius (Hierarch. eccl. I. III, n. 10), Constitutiones apostolicae (Lib. VIII, c. 11), sanctus Cyrillus Hierosolymitanus (Catech. myst. 5). Auctor Quaestionum veteris et Novi Testamenti, inter opera sancti Augustini (Quaest. 101), asserit hunc ritum per omnes Ecclesias servari. Aquam lavandis manibus in aliquibus ecclesiis ministrabant diaconi, in aliis subdiaconi, in aliis acolythi, in Hispania, teste sancto Isidoro (Epistola ad Ludifredum Cordubensem), ad subdiaconum pertinebat presbyteris et levitis pro lavandis ante altare manibus aquam praebere, ad diaconum autem infundere aquam manibus episcopi, quod sanctus Isidorus innuit, cum dicat subdiaconum urceolum quoque et aquam, mantile et manutergium tenere episcopo, non tamen ejus manibus aquam infundere: id scilicet muneris diaconi erat. In libris liturgicis passim occurrunt orationes dicendae dum sacerdos manus lavat. Fol. 220, assignatur ad lavandum manus oratio Lavabo inter innocentes; de qua, praeter Missales libros, fit mentio in liturgia sancti Chrysostomi (pag. 60), in communi liturgia Syrorum (Renaud., tom. II, pag. 11), et in sancto Cyrillo Hierosolymitano (Catech. myst. 5). Igitur sacerdos, lotis manibus, et interim dicta hac oratione, quam rubricae (Pag. 5, 224) praetermiserunt, ad medium altaris reversus, tribus digitis facit signum crucis super oblata, submissa voce dicens In nomine Patris, etc. Tum, ad altare inclinatus, dicit orationem Accedam, quae in nostro Missali titulo caret, recte tamen apologia sacerdotis nuncupari potest, est enim ejusdem generis atque illa oratio quae Missali Gallo-Gothico (Num. 37), die Paschae, describitur apologia sacerdotis, eundemque locum in liturgia occupat, in vetustis libris Sacramentorum, apud Martenium (De ant. Rit., lib. I, cap. 4, art. 12), sancti Dionysii, et sancti Theodoric Rhemorum. At in Pontificali Prudentii Trecensis (Ibid.) haec oratio inscribitur confessio sacerdotis, et in Prudentii Sacramentario rubrica praescribit ut dicatur antequam sacerdos suscipiat oblata; in missa Illyrici praescribitur ut dicatur dum canitur gradalis.

Incipit Missa⁴⁷.

[In cantu]

Dominus sit semper vobiscum.

R\ Et cum spiritu tuo.

Sequens oratio non dicatur equaliter.

Oratio⁴⁸. *Christe cujus virtus atque potentia tantum in Apostolo tuo Jacobo emicuit: ut in nomine tuo emissis a se demoniorum catervis: potentialiter meruerit imperare. Tu Ecclesiam tuam ab adversantium impugnatione defende: ut virtute spiritus exuperando adversa: illius doctrina opere compleatur: cujus hodie exemplum pie passionis honorat.*

R\ Amen.

Dicat Presb. [In cantu]

Per misericordiam tuam Deus noster qui es benedictus et vivis et omnia regis in secula seculorum.

R\ Amen.

Dicat Sacerdos elevando manus.[In cantu]

Oremus. Agyos⁴⁹. Agyos. Agyos. Domine Deus Rex eterne tibi laudes et gratias. [In cantu]

Ecclesiam⁵⁰ sanctam Catholicam in orationibus in mente habeamus ut eam Dominus fide et spe et charitate propicius ampliare dignetur. Omnes lapsos captivos infirmos atque peregrinos in mente habeamus ut eos Dominus propicius respicere redimere sanare et confortare dignetur.

⁴⁷ Scilicet fidelium.

⁴⁸ Haec oratio plerumque missa, tanquam proprio nomine, appellatur. De hac oratione vide notam pag. 221. Porro oratio missa propria sancti Jacobi nihil discrepat ab oratione post Gloria ejusdem.

⁴⁹ Absoluta oratione missa, sacerdos in medio altaris dicit Per misericordiam tuam, etc. Tum, ut rubrica praescribit, elevando manus, dicit Agyos, etc., et sic preces inchoat: ita enim orationes illae solemnes quae pro Ecclesia, pro clero, pro rege, pro populo, variisque hominum conditionibus fiebant, appellantur, quae a Graecis συναπτάι, collectae aut conjunctae orationes denominantur. Olim apud Gotho-Hispanos diaconus preces recitabat (S. Isidor., ep. ad Ludifr.) Apud Graecos quoque et Orientales a diacono recitabantur; unde et diaconicae dictae sunt. A Gallis et a Gotho-Hispanis preces non semel inter Missarum solemnium recitabantur, et in liturgiis Graecorum synaptae saepius repetuntur (Vide pag. 93).

⁵⁰ Solemne est in omnibus liturgiis pro Ecclesia orare. Canon Romanus: In primis quae tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta catholica. In liturgia sancti Chrysostomi: Pro stabilitate sanctarum Dei Ecclesiarum. Hinc Optatus (Lib. II cont. Parmen.) urget Donatistas: Quis dubitat vos illud LEGITIMUM in sacramentorum mysterio praeterire non posse, offerre vos dicitis pro Ecclesia quae una est... et offerre vos dicitis pro Ecclesia una quae sit toto terrarum orbe diffusa. Hinc etiam sanctus Fructuosus, Tarraconensis episcopus, cum anno 259 ad amphitheatrum, pro fide Christi, comburendus duceretur, cuidam ut sui memor foret roganti respondit: In mente me habere necesse est sanctam Ecclesiam catholicam ab Oriente usque ad Occidentem diffusam (Apud D. Th. Ruinart., Act. marty., pag. 222).

225 Respondeat Chorus. Presta⁵¹ eterne omnipotens Deus.

Postea dicat Presb. Oratio. Alia. *Vocantem⁵² nos ad se Jesum fratres dilectissimi agnoscentes: qui beatissimum Jacobum Apostolum suum retia componentem in navi: ad se vocans: ejusdem nos postmodum spiritualibus doctrinis admonet atque docet: ut postulantes in fide nihil hesitemus: omni mentis devotione cum lachrymis eundem Dominum flagitemus. Ut postulatio nostra apud eum ea nobis obtineat adimplere: que in ipso Apostolo docente cognovimus.*

R\ Amen.

Dicat Presb Per misericordiam⁵³ tuam Deus noster in cujus conspectu Sanctorum Apostolorum et Martyrum Confessorum⁵⁴ atque Virginum nomina recitantur.

⁵¹ Cum preces a diacono fierent, aut populus ad singulas petitiones respondebat Domine, miserere, ut in liturgia sancti Chrysostomi; aut in fine precum respondebat Praesta, aeterne, etc., ut in Missali nostro; aut tacitus apud se orans omnino non respondebat, ut in liturgia Constitutionum apostolicarum observatur.

⁵² De hac, quae alia oratio inscribitur, vide notam pag. 126. Adverte hic praesupponi sanctum Jacobum Majorem auctorem esse Epistolae canonicae quae plerumque sancto Jacobo fratri Domini tribuitur, in qua opinione fuit sanctus Isidorus, si ille sit auctor libri de Vita et morte sanctorum Novi Testamenti.

⁵³ Hic incipiunt diptycha, sive nominum recitatio. Olim in Hispania recitatio nominum, sive diptychorum, ad diaconum pertinebat (S. Isid., epist. ad Ludif.). Sacerdos igitur, praemisso Per misericordiam, etc., salutabat de more populum; tum diaconus elata voce dicebat In conspectu Dei nostri, etc., et nomina quaedam sanctorum Veteris et Novi Foederis recitabat. Insuper adverte, diptycha sacra, de iis solis loquor, distinguenda esse a precibus quae pro vivis et defunctis inter sacrarum solemnities fiunt. Finis et usus praecipuus diptychorum erat ut retineretur catholica communio tum vivorum inter se, tum vivorum et mortuorum; hinc usus diptychorum sacrarum antiquissimus. Diptychis sacris nomina vivorum et defunctorum inscribebantur. Defunctorum nomina in tres classes dividuntur: prima est sanctorum Veteris et Novi Testamenti qui publice colebantur; altera in duas classes subdividebatur, in quarum prima erant nomina omnium episcoporum ejus Ecclesiae in qua solemnities celebrabantur, iis solis exceptis qui haeresis, aliusve criminis, legitime damnati fuerant; his accedebant nomina presbyterorum, aliorumque e clero ejusdem Ecclesiae. In secunda classe erant nomina aliquorum episcoporum defunctorum, aliarum Ecclesiarum et regionum, quorum fides et pietas ab universa Ecclesia laudabatur: tales erant Athanasius, Chrysostomus, Leo papa, etc. Tertia classis habebat nomina laicorum defunctorum, non omnium sane, sed praecipuorum, et eorum pro quibus ea die specialiter offerebant. Diptycha vivorum habebant nomina Romani pontificis, metropolitani, episcopi ejus Ecclesiae ad quam spectabant, in Oriente patriarchae praeterea habebant nomina quorundam episcoporum qui speciali nota digni habebantur; post hos habebant nomina imperatoris aut regis cui civitas parebat, reginae, prolis regiae, praecipuorum magistratuum, fundatoris ecclesiae, et nomina quorundam offerentium, dignitate aut pietate conspicuorum, aliorumque quos diaconus pro suo libito nominare volebat. Demum in Oriente, saltem Constantinopoli, e diptychis legebantur nomina quatuor conciliorum Nicaeni, Constantinopolitani, Ephesini et Chalcedonensis. In Hispania et Gallia diptycha ante consecrationem elementorum, imo ante orationem post nomina legebantur; ante consecrationem leguntur quoque in liturgia Graeca sancti Marci (Renaudot., tom. I, pag. 150) et sancti Cyrilli Coptica (Ibid., pag. 42). Olim quoque Constantinopoli diptycha ante consecrationem recitabantur (Concil. Const. sub Menna, act. 5); at modo in liturgiis sancti Chrysostomi et sancti Basilii post consecrationem et invocationem leguntur. Post consecrationem diptycha recitantur in liturgia sancti Jacobi Syriaca, in sancti Basilii Coptica, et Graeca Alexandrina, et in liturgia Theodori Mopsuesteni Nestoriana. In Sacramentariis Gelasiano et Gregorianis diptycha vivorum ante consecrationem, mortuorum vero post consecrationem, recitabantur; caeterum diptycha, pro Ecclesiarum facultatibus, magis aut minus pretiosa erant: frequenter eburnea, non raro argentea, nonnunquam aurea, et aliquando gemmata inveniuntur. Charta donationis Ruidisindi episcopi (Concil. Hisp. tom. III, pag. 179), anno 935 facta, inter alia donaria, diptagos argenteos imaginatos et deauratos recenset; unde etiam habemus, saeculo X Mozarabes, nam eorum liturgia in Hispania adhuc vigeat, usum diptychorum ad nomina in ecclesia recitanda retinuisse.

⁵⁴ Praeter horum adjugebant etiam nomina patriarcharum et prophetarum (Vide pag. 196). In Missali Gallo-Gothico (N. 66), oratione post nomina, cum patriarchis, prophetis, apostolis et martyribus, anachoretis et virginibus recensentur; confessorum vero, ὁμολογητῶν, Constitutiones apostolicae (Lib. VIII, cap. 10), liturgiae

R\ Amen.

Offerunt Deo Domino oblationem Sacerdotes nostri⁵⁵ Papa Romensis⁵⁶ et reliqui⁵⁷ pro se et pro omni Clero et plebibus Ecclesie sibimet consignatis vel pro universa⁵⁸ fraternitate Item offerunt universi Presbyteri⁵⁹ Diachoni Clerici ac populi circumadstantes⁶⁰. In honorem Sanctorum pro se et suis.

R\ Chorus.[In cantu] Offerunt pro se et pro universa fraternitate.

Dicat Sacerdos.

Facientes commemorationem beatissimorum Apostolorum et Martyrum gloriose Sancte Marie Virginis. Zacharie. Joannis. Infantium. Petri. Pauli. Johannis. Jacobi. Andree. Philippi. Thome. Bartholomei. Matthei. Jacobi. Symonis. et Jude. Mathie. Marci. et Luce

226 R\ Chorus. Et omnium Martyrum⁶¹.

Dicat Sacerdos.[In cantu] Item pro spiritibus pausantium⁶². Ilarii. Athanasii⁶³. Martini. Ambrosii. Augustini. Fulgentii. Leandri. Isidori. David. Juliani. Item Juliani. Petri. Item Petri.

sancti Marci Alexandrina, sancti Jacobi Graeca, aliaque passim Graecorum et Orientalium liturgiae, et sanctus Epiphanius (Haer. 77, Heriorum) mentionem faciunt.

⁵⁵ Puta episcopi Toletani, qui tum sedebat, cujus nomen diaconus clare pronuntiabat, aliorumque metropolitanorum Hispaniae, Hispaniae et Galliae Gothicae, quorum nomina pariter recitabantur.

⁵⁶ Hoc loco nomen pontificis Romani recitabatur (Con. Vasion., can. 4).

⁵⁷ Haec verba indicant nomina quorundam episcoporum praecessisse, puta Carthaginensis in Africa, Mediolanensis, Lugdunensis, etc.

⁵⁸ Hoc est pro iis omnibus qui pace et communionem Ecclesiae catholicae fruuntur.

⁵⁹ Hic recitabantur nomina presbyterorum, diaconorum, subdiaconorum, et omnium clericorum illius Ecclesiae, iis exceptis qui haeresis aut capitalis criminis convicti erant. Hinc sanctus Augustinus (Ep. 78, Edit. Maur.), clero et senioribus Ecclesiae Hipponensis de Bonifacio quodam presbytero scribens, permisit ut nomen ejus e diptychis publice non recitetur, si ita presbyteris et senioribus Hipponensibus visum fuerit: Quid enim, inquit, obest homini quod ex illa tabula non vult eum recitari humana ignorantia, si de libro vivorum non eum delet iniqua conscientia. Siquidem Bonifacius accusatus fuerat de gravi peccato, quod ille se admisisse constanter negabat; quare sanctus episcopus aegre clamoribus populi et cleri concesserat ut nondum convicti nomen de diptychis tolleretur.

⁶⁰ Hoc loco recitabantur nomina offerentium, de quibus in Missali nostro et in libris liturgicis Gallicanis recurrit mentio. Regis etiam et praecipuorum magistratum nomina recitabantur. Canon Romanus, in Missali sancti Pii: Et omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est et nota devotio, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis pro se suisque omnibus, etc.; ubi notat Georgius (De Liturg. Rom. Pont., tom. III, diss. III, pag. 49), in variis lectionibus Canonis, Codices ad unum omnes CIRCUMADSTANTIUM, vel CIRCUMASTANTIUM legere; at Sacramentarium Gelasianum, Missale Francorum, Sacramentarium Gallicanum, Sacramentarium reginae Suecorum 337, Florum Lugdunen., et Sacramentarium Palatinum 495, omissis pro quibus tibi offerimus, legere quorum tibi fides cognita est et nota devotio, QUI TIBI OFFERUNT hoc sacrificium laudis, etc. Populus enim fidelis vere, sed suo modo, offert sacrificium eucharisticum, tum quia offert materiam sacrificii, panem scilicet et vinum; tum quia par sacerdotes et presbyteros Deo sacrificium offert. Nam quamvis sacerdos proprio fungatur officio, ille tamen (populus scilicet) offerre dicitur cujus nomine agit sacerdos; ipsi enim imputatur cujus munera offeruntur, inquit auctor Quaestionum Veteris et Novi Testamenti, inter Opera sancti Augustini; at solius sacerdotis et presbyteri est eucharistiam consecrare.

⁶¹ Hoc loco, praeter apostolorum nomina, etiam quorundam martyrum, eorum maxime qui in Hispania passi fuerant, nomina recitabantur, quae postea brevitatis causa ommissa sunt.

Johannis Servi Dei. Visitani. Viventi. Felici. Cipriani. Vincentii. Gerontii. Zachariae. Cenepoli. Dominici. Justi. Saturnini. Salvati. Item Salvati. Bernardi. Reymundi. Johannis. Celebruni. Gundisalvi. Martini. Roderici. Johannis. Guterri. Sancii. Item Sancii. Dominici. Juliani. Juliani. Philippi. Stephani. Johannis. Item Johannis. Felicis.

R\. **Chorus.** Et omnium Pasantium.

Dicat Presb. Post nomina.

Oratio. *Vivant in nobis*⁶⁴ *Jesu Domine Apostoli tui Jacobi praedicamenta doctrine: quibus docemur illum beatum esse: qui inlatus tentationis valuerit equanimiter supportare: quo dum presentia mala patientissime toleraverimus: in pace et charitate nunc: et in eternum tecum sine fine vivamus.*

R\. Amen. [In cantu]

Quia tu es vita vivorum: sanitas infirmorum: ac requies omnium fidelium defunctorum. In eterna secula seculorum.

R Amen.

⁶² Fideles mortuos appellant pausantes, sive quiescentes, ut Apostolus eosdem dormientes dixit (I Thess. IV, 13). Inter pausantes celebres aliquot episcopi tum Hispaniae, tum aliarum nationum, recensentur, sed hic etiam diptycha male detruncata sunt.

⁶³ Athanasii, episc. Alexandrini; Martini, episc. Turonensis; Ambrosii, episc. Mediolanensis; Augustini, episc. Hipponis Regiae; Fulgentii, forte episc. Ruspensis, forte episc. Astigitani, fratris sanctorum Leandri et Isidori; Leandri, episc. Hispalensis; Isidori, episc. Hispalensis; David, forte episc. Hispalensis; Juliani, item Juliani. In catalogo episcoporum Toletanorum, ante dominatum Saracenorum in Hispania, bini censentur Juliani: alter, episcopus decimus nonus, Montanto successit; alter, trigesimus tertius, morum sanctitate et doctrina notus, qui conciliis Toletanis XII, XIII, XIV et XV, interfuit. Petri, item Patri; et hi fortasse episcopi Toletani, alter decimus sextus, alter vigesimus primus. Johannis, abbas Biclarensis, episcopi Gerundensis, scriptis et fidei confessione, sub Leovigildo rege, noti. Servi Dei, forte episc. Calabriensis, qui concilio Toletano IV interfuit. Felici⁶³, forte episc. Toletani trigesimi quinti; interfuit concilio Toletano XVI. Dominici, forte episc. Iriensis, qui concilio Toletano III interfuit. Justi, episc. Toletani vigesimi octavi, qui interfuit concilio Toletano IV. Apud J. Tamaium de Salazar, in Martyrologio Hispano (T. V, pag. 634), exstat catalogus episcoporum Toletanorum copiosior illo quem em. de Aguirre (Concil. Hisp. t. III, pag. 67) et Garzias Loaisa (Coll. concil. Hisp. p. 21) ediderunt: in hoc autem Joannis Tamaii catalogo, inter episcopos Toletanos recensentur David, Julianus, Julianus, Petrus, Petrus, Joannes cognomine Servus Deus, [F. Servusdei], Visitanus, Viventius, Felix, Cyprianus, Vincentius, Gerontius, Zacharias, Zenapolus, Dominicus cognomine Justus, Saturninus, Salviatus et Salviatus; at cum hic catalogus scriptoribus rerum Hispanicarum accuratis non probetur, mihi incertum est quinam ii fuerint quorum nomina in hac parte diptychorum recitantur; metuo sane ut ullus eorum fuerit Toletanus episcopus, imo ut ullus omnino episcopus Toletanus ante Bernardum hisce diptychis inscriptus sit. Bernardi, episc. Toletani; is, recepta urbe Toletana, primus constitutus fuit archiepiscopus. Raimundi; is successit Bernardo. Joannis; is successit Raimundo. Celebruni; in catalogo Cerebruni scribitur, successit Johanni. Gundesalvi, cognomine Perez, sextus, a recepta urbe archiepiscopus Toletanus, successit Petro de Cardona, quem omiserunt. Gundesalvo Perez, eodem quo hic ordine recitantur, successere archiepiscopi Martinus Lopes de Pisuerga, Rodericus Ximenes de Rada, scriptis notus, Johannes de Medina, Gutterius, cui successit Pascasius, quem omiserunt, Pascasio Sancius filius sancti Ferdinandi regis, et huic, anno 1266, Sancius filius Jacobi regis Aragoniae, qui ultimus in diptychis episcopus nominatur, nam quae subsequuntur nomina benefactorum Ecclesiarum Mozarabicarum esse videntur.

⁶⁴ Est haec oratio post nomina, de qua pag. 140. Sed in hac missa sancti Jacobi, oscitantia insigni, haec oratio quae reipsa ad pacem dicenda est, pro oratione post nomina hoc loco ponitur, et vicissim loco orationis ad pacem eam reposuerunt quae post nomina recitanda erat.

Postea dicat ad pacem⁶⁵.

Oratio. *Suscipe Jesu bone: in hoc natali Jacobi Apostoli tui offerentium vota: et refrigerium presta spiritibus defunctorum: ut eo apud te intercedente: et viventibus et defunctis tue pietatis gratia impendatur: cujus doctrina duodecim tribuum commemorantium edocetur.*

R\. Amen.

227 Postea dicat Sacerdos. [In cantu]

Quia tu es⁶⁶ vera pax nostra et charitas indisrupta: vivis tecum: et regnas cum Spiritu Sancto unus Deus in secula seculorum.

R\. Amen.

Dicat Presb. elevando manus. [In cantu]

Gratia Dei Patris omnipotentis pax ac dilectio Domini nostri Jesu Christi: et communicatio Spiritus Sancti sit semper cum omnibus nobis.

R\ Chorus. Et cum hominibus bone voluntatis.

Dicat Presb. [In cantu]

Quomodo astatu pacem facite.

R\ Chorus. Pacem meam do vobis: pacem meam commendo vobis: non sicut mundus dat pacem: do vobis.

V\: Novum mandatum do vobis: ut diligatis invicem. Reiteretur. Pacem meam do vobis.

V\. Gloria et honor Patri.

⁶⁵ De hac oratione, vide pag. 209.

⁶⁶ Absoluta oratione ad pacem, sacerdos in medio altaris dicit Quia tu es vera pax nostra; tum elevando manus solemniter populo beneprecatur dicens Gratia Dei Patris, etc. Formula haec benedicendi, ab Apostolo (II Cor., XIII, 13) desumpta, in liturgiis Graecorum et Orientalium celeberrima est, sed hi plerumque eam praefationi praemittunt; Gotho-Hispani autem, et, ut reor, Galli, osculo pacis. Postquam chorus respondit Et cum hominibus, etc., presbyter dicit Quomodo stas, etc.; sed, nisi de missa privata sermo sit, apud Gotho-Hispanos diaconus clamabat Quomodo astatu pacem facite, ut ex epistola sancti Isidori ad Ludifr. patet. Imo eadem erat Mozarabum, saeculo XI, disciplina, ut ex concilio Compostellano an. 1056 (can. 1) habemus: Ad omnes missas, dum dixerit DIACONUS: INTER VOS PACEM TRADITE, omnibus intra Ecclesiam stantibus pacis osculum invicem tribuatur. Nunc autem sacerdos dicit Quomodo astatu, etc. Quo dicto, ipse pacem de patena accipit, dicens Habete osculum, etc., et ministro tradit, a quo populo traditur proxime astantem osculando. Sed haec recentiora. Olim diaconus clamabat Quomodo astatu, etc.; quo signo dato, omnes quotquot in Ecclesia aderant, ut astabant, sibi mutuo pacis osculum tradebant, viri viros, feminae feminas osculando; erant enim viri a feminis loco segregati. Clerus in choro, et intra altaris cancellos dabat pacem, cujus initium diaconus faciebat osculando episcopum, aut presbyterum, et ille proxime sibi astantem. Interim chorus canebat: Pacem meam do vobis, etc. Apud Gotho-Hispanos, et Gallos, Graecos et Orientales, ante consecrationem munerum pacem faciebant; at Romae, in Italia, et in Africa, paulo ante communionem tradebatur pacis osculum. Sanctus Augustinus (Oper. tom. V, serm. 227, Edit. Maur.): Post sanctificationem sacrificii dicimus orationem Dominicam, post ipsam Pax vobis, et osculantur se Christiani in osculo sancto. Est autem hic ritus antiquissimus, in omnibus liturgiis invenitur, et de eo apostoli non semel videntur fecisse mentionem (I Cor. XVI, 20; XIII, 12; I. Pet. V, 14).

P. Pacem.

Interim quod Chorus dicit. Pacem meam. accipiat Sacerdos pacem de patena dicendo sic. Habete osculum dilectionis et pacis: ut apti sitis sacrosanctis mysteriis Dei. Et statim det pacem Diacono vel puero: et puer populo.

Postea inclinet se Sacerdos junctis manibus et dicat. [In cantu]

Introibo⁶⁷ ad altare Dei mei.

R\ Chorus. Ad Deum qui letificat juventutem meam.

et ponat Presb. manus super Calicem et dicat.

Aures ad Dominum.

R\ Chorus. Habemus ad Dominum.

Dicat Presb. [In cantu]

Sursum corda.

R\ Chorus. Levemus ad Dominum.

Dicat Presb. junctis manibus inclinando se in medium altaris. [In cantu]

Deo ac Domino nostro Jesu Christo Filio Dei: qui est in celis dignas laudes dignasque gratias referamus. Et dicendo Gratias referamus, elevet Sacerdos manus in altum.

Et Chorus respondeat. Dignum et justum est.

Et postea cantet Presb. **Inlatio**⁶⁸. [In cantu]

⁶⁷ Postquam clerus et populus dandae mutuo paci finem fecerunt, sacerdos ad aram redit, et ante aram stans dicit Introibo ad altare Dei; respondet chorus Ad Deum qui laetificat, etc. Tum sacerdos accedens ad aram manus expandit super oblata, et elata voce dicit Aures ad Dominum; respondet chorus Habemus ad Dominum. Rursum sacerdos: Sursum corda; et chorus: Levemus ad Dominum. Deinde sacerdos inclinans se in medio altaris dicit: Deo ac Domino nostro, etc., et cum dicit gratias referamus, elevat in altum manus; respondet chorus Dignum, etc. Demum illationem inchoans sacerdos infert: Dignum et justum est, etc. Sed hic quaedam recentiora antiquis ritibus intertexta sunt; nam olim diaconus clamabat Aures ad Dominum (S. Isid. Off. I. II, cap. 8); olim non chorus, sed populus respondebat Habemus ad Dominum, etc., quod ex vetustis liturgiis constat; et hinc illud sancti Chrysostomi (Hom. 18, in Epist. II ad Cor.). Neque enim solus sacerdos gratias agit, sed etiam plebs universa; nam cum prius illorum vocem sumpsit, atque illi assenserunt, id digne et juste fieri, tum demum gratiarum actionem inchoat. Haud tamen negaverim in privatis missis, maxime quibus nullus aderat diaconus qui ministraret, ista ab ipso sacerdote antiquitus dicta fuisse; alius profecto, etiam apud antiquos, ritus erat missae sollemnis, alius missae privatae.

⁶⁸ De illatione vide pag. 202.

Dignum et justum est nos tibi semper gratias agere Domine sancte Pater eterne omnipotens Deus: per Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum In cujus nomine electus Jacobus cum ad passionem traheretur paralyticum⁶⁹ ad se clamantem curavit: atque hoc miraculo cor illudentis sibi ita compulsit⁷⁰: ut eum sacramentis instinctum fidei faceret ad gloriam pervenire martyrii. Sic ipse post in confessionem Filii tui capite dejecto interemptus occubuit. Perveniens ad eum in pace pro quo hanc sustinuit passionem. Ipse est enim unigenitus tuus Filius: qui dedit animam suam redemptionem pro multis. Per quem nostris tu Deus Pater jubeas parcere jam delictis. Cui merito exercitus militie celestis non cessant clamare ita dicentes.

229. Respondeat Chorus⁷¹. Sanctus. Sanctus. Sanctus. Dominus Deus Sabbaoth: Pleni sunt celi et terra gloria majestatis tue. Osanna filio David. Benedictus qui venit in nomine Domini. Osanna in excelsis. Agyos. Agyos. Agyos. Kyrie. O theos.

Postea dicat Presbyter. [In cantu]

Vere Sanctus⁷²; vere benedictus Dominus noster Jesus Christus Filius tuus. Quem Jacobus relicto Zebedeo patre ita secutus est: ut eum obnixè diligendo fieret electus in vita: mundus in conscientia: probabilis in doctrina. Postremo ita scientiam⁷³ commendans ex opere: ut pro eo truncato interierit capite. Quem pro se vel pro omnibus noverat animam posuisse Christum Dominum. Cui est honor⁷⁴ et gloria in secula seculorum. Amen.

Deinde dicat Sacerdos in silentio junctis manibus inclinando se ante Altare.

Oratio.

Adesto adesto Jesu bone Pontifex in medio nostri: sicut fuisti in medio discipulorum tuorum: et sancti ✠ fica hanc oblationem ✠ ut sanctificata ✠ sumamus per manus sancti Angeli tui sancte Domine et redemptor eterne. Dominus noster Jesus Christus in qua (abstergit digitos) nocte tradebatur accepit panem (accipit Hostiam) et gratias agens (inclinat caput) bene ✠ dixit ac fregit: deditque discipulis suis dicens. Accipite et manducate.

⁶⁹ De hoc paralytico et de conversione illius scribae qui sancto Jacobo manus injecerat, ejusque martyrio, mentionem facit Pseudo-Abdias (Hist. certaminis apost. lib. IV). De conversione ad fidem illius viri qui sanctum Jacobum ad tribunal Herodis traxit, deque ejusdem martyrio, scribit Eusebius (In Hist. Eccl., lib. II, cap. 9).

⁷⁰ Lege compunxit.

⁷¹ Sanctus olim non a choro, sed a populo, canebatur, tam in Hispania quam in Gallia; hinc Missale nostrum, in oratione post Sanctus Dom. 5 Quadragesimae, dicit quod hymnus iste triumphalis in coelestibus sine defectu psallitur ab angelis, et hic solemniter decantatur a populis. Hinc etiam sanctus Gregorius Turonensis (De mir. S. Mart., l. II, c. 14) scribit: Ubi expedita contestatione omnis populus SANCTUS in Dei laudem proclamavit. Mos idem in Oriente, testibus sancto Chrysostomo (Hom. in Seraph.), sancto Gregorio Nysseno (Orat. de non differend. baptism.), Constitutionibus apostolicis (Lib. VIII, cap. 12), et liturgiis passim, quamvis modo etiam in Oriente Sanctus a choro cantetur, nec tantum Latine, sed etiam Graece Gotho-Hispani hymnum triumphalem canant, quod etiam in Gallia observatum esse credibile est. Neque obstat quod sanctus Gregorius, supra citatus, dicat populum in Dei laudem Sanctus cantasse; non enim negat ἅγιος, hagnos, Graece etiam fuisse cantatum.

⁷² Illationem excipit oratio post Sanctus, de qua pag. 213. Haec oratio cum in singulis missis diversa sit, et modo prolixior, modo brevior occurrat, non video cur ab aliquibus eruditibus liturgicis canon appelletur.

⁷³ Fortasse ita scientia commendatus et opere.

⁷⁴ Galli nonnunquam orationem post Sanctus concludunt Per Christum Dominum nostrum, qui pridie, etc. At neque Galli, neque Gotho-Hispani hanc orationem solemniter doxologia concludere solebant.

HOC EST⁷⁵ CORPUS MEUM QUOD PRO VOBIS TRADATUR.

Hic elevetur Corpus. Quotiescumque manducaveritis: hoc facite (**alta voce omnibus diebus preter festivis**) in meam ✠ commemorationem.

R\ Amen⁷⁶.

Similiter⁷⁷ et calicem postquam (**eum accipit**) cenavit dicens.

⁷⁵ Verba haec consecratoria desumpta sunt ex Epistola I ad Corinthios (Cap. XI, 24), ubi Vulgata legit quod pro vobis tradatur. Verba consecratoria in liturgia sancti Chrysostomi (Euch. pag. 76) ex eadem Epistola Apostoli desumpta sunt: τοῦτό μου ἐστὶ τὸ σῶμα, τὸ ὑπὲρ ἡμῶν κλώμενον εἰς ἄφεσιν ἀμαρτιῶν. Hoc est corpus meum quod pro vobis frangitur in remissionem peccatorum. In textu Graeco, in sancto Chrysostomo, et in Theodoro, κλώμενον, fractum, legitur. In liturgia sancti Jacobi Graeca additur, καὶ διδόμενον, pro vobis frangitur et datur; et in liturgia Graeca Alexandrina sancti Marci, apud Renaudotium (Lit. Or. t. I, p. 155), verba consecratoria panis sunt: τοῦτό μου ἐστὶ τὸ σῶμα, τὸ ὑπὲρ ἡμῶν κλώμενον, καὶ διδόμενον εἰς ἄφεσιν ἀμαρτιῶν. Hoc est enim corpus meum quod pro vobis frangitur et distribuitur in remissionem peccatorum. In canone Romano verba consecratoria panis sunt: Hoc est enim corpus meum. Vox enim γὰρ in liturgia sancti Marci inter consecratorias habetur; desideratur tamen in Vulgata, et in Sacramentario reginae Suecorum, ut notat Georgius. Verba Gallorum consecratoria panis eadem fuisse videntur atque Romana: Hoc est corpus meum. Certe anonymus ille, sive sanctus Germanus Parisiensis, sive alius vetustus scriptor, qui missam Gallicanam explicavit, non alia tradidit verba consecratoria panis, haec autem pro consecratoriis tradidisse plane videtur. Forma ista ponitur consecrationibus ne antiquitas ignoretur. Sed hodie servetur Ecclesiae traditio. Hoc: est: enim: corpus: meum. Hic: est: enim: calix: sanguinis: mei: novi: et: aeterni: testamenti: mysterium: fidei: qui: pro: vobis: et: pro: multis effundetur: in: remissionem: peccatorum.

⁷⁶ Gotho-Hispani mandatum Christi (I Cor. XI, 24-26) addunt tam verbis consecratoriis panis, quam consecratoriis vini, sic verbis istis, Hoc est corpus meum quod pro vobis tradatur, subjungunt: Quotiescumque manducaveritis, hoc facite in meam commemorationem; vocesque has, In meam commemorationem, omnibus diebus praeter festivas elata voce proferunt, et chorus respondet Amen. Rursus verbis istis, Hic est calix, etc., illico addunt quotiescumque biberitis, hoc facite in meam commemorationem, et chorus respondet Amen. Demum tertio idem mandatum repetunt, dicentes: Quotiescumque manducaveritis panem hunc, et calicem biberitis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat, in claritatem de coelis; et respondetur Amen. An Gotho-Hispani et Galli olim verba consecratoria submissa, an elata voce protulerint, non satis constat. Si constaret hanc rubricam, qua praescribitur ut omnibus diebus praeter festivis elata voce dicatur in meam commemorationem, esse antiquam, suspicari haud temere liceret reliqua submissa voce esse prolata, sed de antiquitate hujus rubricae merito ambigitur. Quod autem dicunt, titulum orationis post mysterium et post secreta, quae in libris Gallicanis legitur, probare, Gallos verba consecratoria submissa voce protulisse, fundamento labili nititur, nam oratio illa post mysterium denominata est, quia verba illa mysterium fidei quae in consecratione calicis proferuntur, consequitur, ab aliis vero post secreta eadem oratio dicitur, quia secretum Latine idem significat quod Graece mysterium; quare denominatio post mysterium et denominatio post pridie, a populo orationibus quae consecrationem consequuntur impositae, indicare videntur verba consecratoria, tam in Gallia quam in Hispania, alta voce a sacerdotibus fuisse olim prolata. Siquidem eae denominationes non aliam causam habuisse videntur quam quod Gotho-Hispani, quoties missae sacrificio interfuere, voces has, POST PRIDIE, et Galli illas, MYSTERIUM FIDEI, cum aliis consecratoriis verbis, clare a sacerdote prolatas audiverint.

⁷⁷ Haec ex I ad Cor. (Cap. XI, 24), et ex Evangeliiis (Luc. XXII, 20; Matth. XXVI, 28). Verba consecratoria calicis, Hic est calix novi testamenti in meo sanguine, nullibi in Vulgata exstant, si verbatim sumantur; legebantur tamen olim in versione Latina; nam Sedulius Scotus (In Epist. I ad Cor.) ita legit: Hic est calix novi testamenti in meo sanguine, et Gregorius II papa, scribens ad sanctum Bonifacium episcopum Moguntinum (Inter Epist. S. Bonifac. epist. 126), hunc textum ita refert: Hic calix novi testamenti est in meo sanguine. In Liturgia sancti Chrysostomi verba consecratoria calicis sunt: τοῦτό ἐστὶ τὸ αἷμά μου τὸ τῆς καινῆς διαθήκης τὸ ὑπὲρ ὑμῶν καὶ πολλῶν ἐκχυσόμενον, εἰς ἄφεσιν ἀμαρτιῶν. Hic est sanguis meus, novi testamenti qui pro vobis, et pro multis effunditur in remissionem peccatorum. Eadem leguntur in liturgiis Graecis sancti Jacobi, et sancti Marci, nisi quod in ambabus addatur καὶ διδόμενον, et distribuitur, et in sancti Marci τοῦτό γὰρ ἐστὶ, hic est enim calix, etc., legitur. In canone Romano verba consecratoria calicis sunt: Hic est

Super calicem. HIC ✠ EST CALIX NOVI TESTAMENTI IN MEO SANGUINE QUI PRO VOBIS ET PRO MULTIS EFFUNDETUR IN REMISSIONEM PECCATORUM.

Hic elevetur⁷⁸ calix coopertus cum filiola.

Quotiescumque biberitis: hoc facite (**alta voce omnibus diebus preter festivis**) in meam ✠ commemorationem.

R\. Amen.

enim calix sanguinis mei novi et aeterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Gallis haud absimilia erant verba consecratoria calicis; ita enim habet laudatus sanctus Germanus: Sanguis vero Christi ideo specialiter offertur in calice, quia in tale vasum consecratum fuit mysterium Eucharistiae pridie quam pateretur Dominus, ipso dicente: HIC EST CALIX SANGUINIS, MYSTERIUM FIDEI, QUI PRO MULTIS EFFUNDETUR IN REMISSIONEM PECCATORUM. Animadvertendum, haec verba forma ista ponitur, etc., et verba consecratoria Romana, quae ad calcem paginae 230 adjiciuntur, ab initio Missali Mozarabico typis edito apposita non fuisse, sed, ut quorundam scrupulis satisfaceret, postea glutine esse affixa, ut cuilibet Codices antiquos inspicienti patet.

⁷⁸ Praescribit rubrica ut statim atque panis fuerit consecratus elevetur, et rursus ut, postquam fuerit consecratus, elevetur calix filiola, id est, palla, tectus. Ritus elevandi Eucharistiam in missa, eamque solemniter adorandi, omnium Ecclesiarum, tam Orientis quam Occidentis, est: discrepant tamen in hoc, quod non omnes eodem missae loco elevent, et quod alii corpus et sanguinem, alii solum corpus Christi, sive, quod idem est, alii solas species consecrati panis, alii tam panis quam vini, elevent. Romae olim ad ea verba canonis per ipsum et cum ipso, diaconus calicem elevabat, et sacerdos duas oblatas, quibus latera calicis tangebatur. Ordo Romanus I Mabillonii, n. 16, et ordo Romanus III Hittorpii: Cum sacerdos dixerit Per ipsum, et cum ipso, archidiaconus levat cum offertorio calicem per ansas, et tenet exaltans illum juxta pontificem, pontifex autem tangit a latere calicem cum oblatas dicens Per ipsum et cum ipso, usque Per omnia saecula saeculorum; et ponit pontifex oblationes in loco suo, et archidiaconus calicem juxta eas, demisso offertorio in ansas ejusdem. Adverte autem quod archidiaconus elevabat calicem cum offertorio per ansas, quo loco offertorium significat pallam, sive sindonem, qua calix tegebatur, et Hispanis filiola dicitur: palla autem, qua olim tegebatur calix, non alia erat quam sindon illa quae excipiebat panes a populo oblatos, atque proinde offertorium vulgo nuncupabatur, quam plicatam solebant calici, pro tegumento, imponere. Haec in gratiam eorum notavi qui ritum Mozarabicum elevandi calicem cum filiola tanquam recentem et barbarum damnant, cum reipsa antiquus sit et Romanus. Redeo ad specierum eucharisticarum elevationem. Micrologus, saeculo XI ad finem vergente (Cap. 17), scripsit: Cum dicimus Per omnia saecula saeculorum, corpus cum calice levamus, et statim in altare deposita cooperimus, nimirum, demisso offertorio in ansas calicis, etiam oblata, juxta posita, eodem velo tegebantur. Gotho-Hispani ante confractionem, ut fusius explicabo, hostiam altius elevabant, ut ab omni populo videri et adorari posset. Graeci quoque ante confractionem sanctam elevationem, τὴν ἁγίαν ὕψωσιν, faciunt (Vid. Euch., pag. 81, et notas Goarii, pag. 145); non elevent calicem, sed solum τὸν θεῖον ἄρτον, panem divinum, majorem scilicet hostiae partem. De Coptitis, Syris, aliisque Orientalibus Christianis, diligentissime scripsit Eusebius Renaudotius (Lit. Orient. tom. I, pag. 265 seq.; tom. II, pag. 114 seq.). Elevent autem partem praecipuam hostiae consecratae, ad ea verba, Sancta sanctis, atque, ut praescribit Gabriel patriarcha Alexandrinus, sacerdos debet corpus dominicum sursum elevare quantum brachia sua extendere poterit, et voce quantum poterit maxima clamare Sancta sanctis, et populus cum lacrymis adorat, et pectora tundens veniam peccatorum petit, et rogat ut in fide orthodoxa usque ad extremum vitae a Deo confirmetur. Eodemque tempore accenduntur cerei, et attolluntur; haec Orientales Christiani. In Gallia, post medium saeculi XI, ob haeresim Berengarii, coeperunt statim post consecrationem panis attollere corpus Domini, illudque adorare, et pariter post consecrationem calicis, sanguinem altius attollere, et adorare; haec consuetudo e Gallia in alias regiones Ecclesiae Latinae paulatim penetravit. De ea circa initium saeculi XII meminit Hildebertus Cenomanensis (In expositione missae). De eadem (In speculo Ecclesiae, inter opera Hugonis Victorini) meminit Robertus Paululus, qui anno 1184 vivebat. Saeculo autem XIII, hic ritus passim in usu erat. Exinde Mozarabes bis in missa corpus et sanguinem Domini elevent, primum statim post prolata consecrationis verba, et iterum ante confractionem, aut cum Symbolum recitant. Juxta rubricas Missalis Romani sancti Pii V, corpus et sanguis elevantur statim peracta consecratione, et rursus ante ea verba omnis honor et gloria, et tum etiam sacerdos genuflectit.

Quotiescumque manducaveritis panem hunc et calicem istum biberitis: mortem Domini annuntiabitis: donec veniat; (alta voce omnibus diebus preter festivis) in claritatem⁷⁹ ✠ de celis.

R\ Amen.

*Oratio post pridie*⁸⁰. *Subjuga Deus nostras tuo leve jugo cervices: ut onus tuum: quod amantibus est: ita optabili devotione feramus: sicut Jacobus Apostolus tuus: innexo collo suo fune ad passionem tractus est letabundus: ut sanctificans hec que tibi offerimus nos ipsos benedicas perceptione hostie hujus. Amen.*

Oratio. Te prestante⁸¹ sancte Domine: quia tu hec omnia nobis indignis servis tuis: valde bona creas: sancti ✠ ficas vivificas ✠ bene ✠ dicis ac prestas nobis: ut sit benedicta a te Deo nostro in secula seculorum.

R\ Amen.

Presb. accipiat corpus Domini de patena: et ponat super calicem discoopertum: et dicat alta voce omnibus diebus videlicet festivis et Dominicis: preter in locis in quibus erit Antiphona propria ad confractionem panis. Postea dicat Presb. sic. [In cantu]

Dominus sit semper vobiscum.

Respondeat Chorus. Et cum spiritu tuo.

Dicat Presb. [In cantu]

Fidem quam corde credimus ore autem dicamus.

⁷⁹ Lege in claritate. Caeterum haec, in claritatem de coelis, Gotho-Hispanos in suis Codicibus legisse palam facit Apostolus, quem ex Epistola I ad Corinthios (Cap. XI) feria quinta in coena Domini legebant.

⁸⁰ De hac oratione vide quae notavi pag. 69, 197, 217.

⁸¹ Huic simillima est oratio canonis Romani, sed in canone Romano verba ad aeternum Patrem diriguntur, in Missali nostro aut ad Christum Dominum, aut ad totam individuum Trinitatem. Hac autem oratione Ecclesia profitetur maximum Eucharistiae beneficium a Deo sibi esse collatum, a quo panis et vinum, elementa eucharistica consecranda, creantur; creata, cum altari admoventur, sanctificantur; sanctificata vivificantur, cum in corpus et sanguinem Christi transsubstantiantur; vivificata benedicuntur, donisque Spiritus sui sancti affatim replentur, atque ita benedicta, nobis, indignis servis suis, fruenda traduntur: quam explicationem Missale Ambrosianum confirmat, in quo haec oratio ita concluditur: Et nobis famulis tuis largiter praestas, ad augmentum fidei et remissionem omnium peccatorum nostrorum. Unde apparet totam hanc orationem a Gotho-Hispanis, tanquam orationis post pridie complementum, super elementa consecrata fusam esse. Non ignoro viros eruditos opinatos esse orationem canonis Romani Per quem haec omnia, Domine, semper bona creas, etc., ad fruges novas benedicendas pertinere, quae, in hac missae parte, ante hanc orationem, altari benedicendae inferebantur, de qua re sanctissimus Dominus noster papa Benedictus XIV copiose et erudite, more suo, disserit in opere de sacrosancto missae Sacrificio (Lib. II, cap. 18, a n. 10, Edit. Rom. pag. 191). Huic tamen opinioni assentiri nequeo: nam, ut sanctitas sua animadvertit, frugum novarum benedictio non amplius fit in hac parte missae, neque unquam erat universaliter receptum ut in ea missae parte benedictio novarum frugum fieret; praeterea rubrica Missalis Romani, nulla facta mentione novarum frugum, praescribit ut sacerdos ter signet super hostiam et calicem, dicens Sanctificas, etc., et Missale Ambrosianum: Hic signet sacrificium SANCTIFICAS, etc. Haud tamen negaverim, in vetustis quibusdam Sacramentariis praedictam orationem novis frugibus benedicendis adhibitam fuisse; sed hoc privata quorundam episcoporum auctoritate statutum esse puto, qui verba illa per quem haec omnia, Domine, semper bona creas, quae, ex intentione Ecclesiae, ad sacra dona consecrata referuntur, etiam novis frugibus benedicendis aptari posse perspexerant.

Et elevet Sacerdos Corpus Christi ut videatur a populo. Et dicat Chorus symbolum⁸² bini ac bini: videlicet.

⁸² Justinus Junior, anno 568, imperii sui primo, symbolum Constantinopolitanum in omni Ecclesia catholica a populo canendum intromisit, ut scribit Joannes Biclarensis, in Chronico. Antea quidem Petrus Fullo Antiochenus patriarcha, qui anno 488 obiit, ut Symbolum diceretur in singulis collectis instituerat (Theod. Lect., Collect. I. II); et post hunc Timotheus, cognomine Colon, qui ab anno 511 ad 517 tenuit sedem Constantinopolitanam, instituit ut fides Nicaena in omni synaxi recitaretur (Theod. Lect., *ibid.*). Sed horum instituta, hominum haereticorum, a paucis suscepta, brevi tempore in desuetudinem abiit; quare exordium ritus recitandi Symboli Constantinopolitani, inter missarum solemnias, Justino Juniori Augusto tribuendum est, quo aduente, in Graeciae et Orientis Ecclesiis Symbolum in collectis recitari coepit; at in Occidente Gotho-Hispani, omnium primi, statuerunt ut Symbolum in missa diceretur. Patres enim synodi Toletanae III, de consilio Recaredi regis, canone secundo, decreverunt ut, per omnes Hispaniae et Galliae Gothicae provincias, Symbolum Constantinopolitanum prius quam Dominica dicatur oratio, voce clara, a populo decantetur, quo fides vera manifestum testimonium habeat, et ad Christi corpus et sanguinem praelibandum, pectora populorum fide purificata accedant. Exinde ritus recitandi Symboli in missa per Galliam et vicinas provincias propagatus est, et tandem anno 1014, Benedictus VIII papa concessit precibus sancti Henrici I imperatoris, ut Romae in missa Symbolum caneretur, quod Berno Augiensis abbas, auctor synchronus, prodidit (De Reb. ad miss. spect., cap. 2). Non desunt qui putant Ecclesiam Romanam Symbolum in missa legisse ante saeculum IX, quia de Symbolo post Evangelium cantando Ordines Romani apud Mabillonium II, V, VI, aperte mentionem faciunt; at Berno Augiensis, testis oculatus, distincte asserit: Symbolum Romani usque ad haec tempora divinae memoriae Henrici imperatoris NULLO MODO cecinerunt. Cui non contradicunt citati Ordines Romani, qui non tradunt disciplinam basilicarum Urbis, sed Ecclesiarum Galliae in quibus ritus Gelasianus, aut Gregorianus receptus quidem erat, sed ritibus quibusdam Gallicanis immistus, ut facile est hos Ordines diligentius inspicienti deprehendere. Neque obstat quod Amalarius in ecloga titulum habeat de Credo in Deum, quo de Symbolo post Evangelium recitari solito tractat, siquidem hoc loco ritum Romanum purum non exhibet, nam inquit: Convenit populo post Evangelium, quo Christi verba audivit, intentionem credulitatis suae praeclaro ore proferre; siquidem populus in Gallia et in Hispania Symbolum in missa recitabat, non item Romae. Certe idem Amalarius (Lib. III de Eccl. Offic.) fuse singulas missae Romanae partes exponens, de Symbolo tacet, et Ordines Romani genuini III et IV Hittorpii, atque is quem illustrissimus Blanchinius in prolegomenis ad tomum III Anastasii (Opusc. 3) edidit, quique olim ad usum Basilicarum Urbis fuerant exarati, non modo silent de Symbolo, sed nullum Symbolo recitando locum vacuum in missa relinquunt. Jam vero Gotho-Hispani, ex decreto concilii III Toletani, Symbolum recitant ante orationem Dominicam. Galli Francorum imperio subditi videntur statim post Evangelium Symbolum cantasse, postquam usus cantandi Symboli apud eos invaluit; incertum enim est an omnes Ecclesiae Gallicanae ante saeculum VIII Symbolum in missa cantaverint. Certe de Symbolo silet libellus sancti Germani de missa Gallicana. Graeci primum osculum pacis dant, tum dicunt Symbolum, quod excipit praefatio (Euch., pag. 75). In liturgiis Syrorum, Coptitarum, et in liturgiis Graecis Alexandrinis Symbolum ante osculum pacis recitatur, praeterquam in liturgia sancti Marci, in qua, nisi subsit error, Symbolum post osculum pacis dicitur.

Credimus⁸³ in unum Deum Patrem omnipotentem. Factorem celi et terre. Visibilium omnium et invisibilium conditorem. Et in unum Dominum nostrum⁸⁴ Jesum Christum Filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia secula. Deum de Deo. Lumen ex lumine. Deum verum ex Deo vero. Natum non factum. Omousion⁸⁵ Patri hoc est ejusdem cum Patre substantie. Per quem omnia facta sunt que in celo et que in terra. Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de celis⁸⁶. **(Hic genuflectitur)** Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine⁸⁷ et homo factus est. Passus sub Pontio Pilato. Sepultus tertia die surrexit. Ascendit ad celos: sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis⁸⁸. Inde venturus⁸⁹ est judicare vivos et mortuos. **231** Cujus regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum vivificantem et ex Patre et Filio procedentem. Cum Patre et Filio adorandum et conglorificandum⁹⁰. Qui locutus est per Prophetas: et unam sanctam Catholicam et Apostolicam Ecclesiam. Confiteor⁹¹ unum baptisma in remissionem peccatorum. Expectamus resurrectionem mortuorum et vitam venturi⁹² seculi. Amen.

Post hec⁹³ frangat Presb. Eucharistiam in medium: et ponat mediam partem in patena: et de alia parte faciat quinque particulas et ponat in patena: et accipiat aliam partem et faciat

⁸³ Dicunt Credimus, quia olim a toto populo dicebatur Symbolum. Apud Gotho-Hispanos et apud Mozarabes chorus dicit Symbolum bini et bini. Syri quoque dicunt Credimus (Renaudot., t. II, p. 11). At in liturgia Graeca Alexandrina (Ibid., t. I, pag. 60) praescribit Rubrica: Populus dicat CREDO IN UNUM DEUM. Graeci etiam (Euch., p. 75) dicunt Credo in unum Deum, quemadmodum etiam Romae dicunt Credo in unum Deum. Apud Graecos vero chorus Symbolum recitat, apud Orientales populus. Rubrica in liturgia Coptica sancti Basilii (Renaud., t. I, pag. 12) praescribit: Populus dicet Symbolum fidei orthodoxae; et rubrica liturgiae Graecae Alexandrinae ejusdem sancti Basilii (Ibid., pag. 60) habet: Populus dicit CREDO IN UNUM DEUM. Ritu romano, in missa privata sacerdos Symbolum integrum recitat, et olim Alexandriae sacerdos Symbolum in missa dicebat. Juxta rubricam liturgiae Graecae Alexandrinae sancti Marci sacerdos signans cruce discos et calices, elata voce dicit CREDO IN UNUM DEUM (Renaud., tom. I, pag. 143). Modo Romae, et in toto Occidente, cum missa sollemnis celebratur, sacerdos inquit Credo in unum Deum, reliqua chorus canit. Saeculo XIII ineunte, ut monet Alexander Halensis (Tract. de Offic. Miss., part. I), Romano Pontifice solemniter celebrante, fidei Symbolum non cantores in choro, sed subdiaconi ad altare decantabant. Caeterum Symbolum quod Gotho-Hispani in missa cantabant, etsi a sancto Isidoro (De Offic. eccl. lib. I, cap. 36) a conciliis XIII Toletano, et Bracarense III (in praef.) et ab Etherio et Beato (Lib. adv. Elipand.) dictum sit Symbolum Nicaenum, est revera Symbolum Constantinopolitanum, ut fides ipsa, et concilium Toletanum III clare manifestat, tamen dictum est Nicaenum, vel quia prima ejus pars a Nicaena synodo condita est, vel quia fama concilii Nicaeni vulgo clarior erat quam Constantinopolitani. Exstat autem Symbolum hoc in conciliis Toletanis VIII, XII et XIII, in concilio Bracarense III, et in libro I Etherii et Beati adversus Elipandum, in quibus aliquae varietates inveniuntur, quarum praecipuas adnotavi.

⁸⁴ Conciliis Toletanis, et Bracarense et Etherio, deficit.

⁸⁵ Ita Toletana et Bracarense III concilia; Etherius et Beatus, homousion.

⁸⁶ Non legunt Toletana et Bracarense III concilia, neque Etherius et Beatus.

⁸⁷ Ita Toletana et Bracarense III concilia; at Etherius et Beatus, et Maria virgine legunt.

⁸⁸ Toletana concilia; et Etherius et Beatus, sedet ad dexteram Patris. Bracarense III, Dei Patris; illud omnipotentis omnibus deficit.

⁸⁹ Ita concilia Toletana et Bracarense III; Etherius et Beatus, inde venturus in gloria.

⁹⁰ Ita concilia Toletana et Bracarense III; Etherius et Beatus, glorificandum.

⁹¹ Lege confitemur.

⁹² Ita concilia Toletana et Bracarense III; Etherius et Beatus, futuri.

⁹³ Rubrica ista pertinet ad modum frangendae hostiae, Mozarabis peculiarem. Circa nomina particularum hostiae fractae, adverte quod corporatio idem significat atque incarnatio, et quod apparitio idem atque epiphania, sive manifestatio, Filii Dei. Absoluta fractione hostiae, et purgatis digitis, praescribit rubrica ut sacerdos cooperiat calicem, quem statim post elevationem non texerat, quia recentiori disciplina Mozarabes, ritus Romanos imitantes, hostiam non, ut olim, in patena, sed in ore calicis frangunt. Deinde rubrica monet ut fiat Memento pro vivis; et hoc recens institutum, in quo neque cum ritibus Romanis, neque cum Gotho-Hispanis conveniunt, nam

quatuor particulas et ponat in patena similiter per ordinem factas per perscriptas rotas. Et statim purget bene digitos. Et cooperto calice faciat Memento pro vivis.

Et perfecto Simbolo dicat Presb. ad orationem Dominicam equaliter.

Oratio. Oremus⁹⁴. *Apostolo tuo Jacobo Domine edocente premonemur: ut si quis nostrum indiget sapientia: postulet a te: quia das omnibus affluenter: et non improperas. Sed quia ad te pervenire cupimus per Christum: qui est virtus tua et sapientia: id agere praeoptamus. Poscentes clementiam tuam: per eum qui apud te advocatus factus est noster. Ut pervenire nos ad te facias: et oratione quam ipso Domino instruente didicimus: ad te introire permittas: proclamantes e terris.* [In cantu].

Pater noster⁹⁵ qui es in celis. R\ Amen.

Sanctificetur nomen tuum. R\ Amen.

Adveniat regnum tuum. R\ Amen.

Fiat voluntas tua sicut in celo et in terra. R\ Amen.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Quia Deus es.

Et dimitte nobis debita nostra sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. R\ Amen.

Et ne nos inducas in tentationem. R\ Sed libera nos a malo.

Postea dicat Sacerdos. [In cantu]

Liberati a malo: confirmati semper in bono: tibi servire mereamur Deo ac Domino nostro: pone Domine finem **Hic percutiat Sacerdos pectus** peccatis nostris da gaudium tribulatis:

ritu Romano Memento vivorum fit ante consecrationem, ritu autem Gotho-Hispano Memento tam vivorum quam mortuorum fit quando diptycha leguntur, et oratione post nomina concluditur. Caeterum fractio hostiae, partium ejus distributio in patena, Memento pro vivis, et alia, a rubrica indicata, fieri debent dum chorus Symbolum canit, aut dum antiphonam ad confractionem in missa solemniter canit. In missis vero privatis post recitatam antiphonam confractionis, aut pro diei qualitate, post dictum Symbolum, haec omnia ordinatim, a sacerdote fiunt.

⁹⁴ In missa Mozarabum solemniter vox Oremus bis tantum a sacerdote dicitur, primum ante agios, et rursus ante capitulum hoc quod orationi Dominicae praemittitur, quibus locis illud Oremus per errorem irrepsit; nam ritu Gotho-Hispano sacerdotis non erat populum admonere cum orandum erat, proclamando Oremus, sed ad diaconum id muneris pertinebat. Sanctus Isidorus (De Off. eccl., l. II, c. 8) de diaconis ait: Hi voces tonitruorum, ipsi enim, clara voce, in modum praeconis, admonent cunctos sive in orando, sive in flectendo genua, sive in psallendo, sive in lectionibus audiendo, etc. Et hinc discimus quod apud Gotho-Hispanos diaconus dicebat Oremus, idem flectamus genua, et rursus Erigite vos, aut Levate; idem clamabat Aures ad Dominum. At voces quibus utebatur cum admoneret populum ad psallendum et ad lectiones audiendas hortaretur, penitus exciderunt, si praeter illud, Silentium facite, quod, in Missali nostro, ante lectionem Apostoli, remansit, et de quo etiam sanctus Germanus, in missae Gallicanae explicatione, meminit, diaconus aliquid ad attentionem conciliandum dixerit. Apud Graecos, ut est in liturgia sancti Chrysostomi, diaconus ante lectionem Apostoli clamat Attendamus, et postquam lector titulum lectionis proposuit, iterum Attendamus clamat, et ante Evangelii lectionem sacerdos ipse clamat sapientia, recti audiamus, sanctum Evangelium. Et postquam diaconus titulum Evangelii legendi proposuit, et chorus Gloria tibi, Domine, respondit, rursus sacerdos clamat Attendamus. Etherius Oxomensis episcopus (lib. I adver. Elipandum) ait diaconum ante lectionem Evangelii silentium imperasse, neque ait eum quidquam ad attentionem populi conciliandum addidisse; quare credibile est, apud Gotho-Hispanos et Gallos diaconum, ad singulas lectiones, silentium facite, nec quidquam aliud, imperasse. Certe sanctus Germanus, ille de quo saepe redit sermo, explicans missae Gallicanae ritus, docet diaconum silentium imperare tum ut populus lectorem audiat, tum ut lectioni sacrae attentionem praebeat. Silentium autem diaconus pro duabus rebus annuntiat, scilicet ut tacens populus melius audiat verbum Dei, et sileatur nostrum (lego, et ut sileat mens nostra) ab omni cogitatione sordida, quo melius recipiatur verbum Dei.

⁹⁵ De Oratione Dominica, vide infra (Pag. 245).

prebe redemptionem captivis: sanitatem infirmis: requiemque defunctis concede pacem et securitatem in omnibus diebus nostris frange audaciam inimicorum nostrorum et exaudi Deus orationes servorum tuorum omnium fidelium christianorum in hac die et in omni tempore. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia semper secula seculorum. R\ Amen.

Accipiat modo primam particulam de patena: et ponat super calicem dicendo. Tempore paschale el oct. Corp. [In cantu]

Vicit leo⁹⁶ de tribu Juda radix David alleluya.

Tribus vicibus. Respondeat chorus qualibet vice:

Qui sedes super Cherubim, radix David alleluya.

Et (omni tempore) dicat istam orationem inter se submissa voce.

Sancta sanctis⁹⁷ et conjunctio corporis⁹⁸ Domini nostri Jesu Christi: sit summentibus et potantibus nobis ad veniam: et defunctis fidelibus prestetur ad requiem. **Et mittat particulam in calicem: et cooperiat calicem:**

⁹⁶ De hac rubrica, vide pag. 6.

⁹⁷ Est haec in omnibus Graecorum et Orientalium liturgiis notissima formula. Sanctus Cyrillus Hierosolymitanus (Cat. myst. 5): Sacerdos dicit SANCTA SANCTIS... et vos subjicitis UNUS SANCTUS, UNUS DOMINUS JESUS CHRISTUS. Constitutiones apostolicae (Lib. VIII, c. 13): «Episcopus Sancta sanctis; populus Unus Sanctus, unus Dominus, unus Christus in gloriam Dei Patris benedictus in saecula.» Liturgia Sancti Chrysostomi: «Clamat sacerdos Sancta sanctis; chorus Unus Sanctus, unus Dominus, Jesus Christus in gloriam, εἰς δόξαν, Dei Patris.» In liturgia sancti Jacobi (Bib. Patr. Gr.-Lat. Paris., t. II): «Sacerdos Sancta sanctis clamat, et populus Unus Sanctus, unus Dominus Jesus Christus in gloriam Dei Patris, cui gloria in saecula saeculorum. Amen.» In liturgia Graeca Alexandrina sancti Basilii (Renaud., t. I, pag. 82) sacerdos elevat spudicon, sive partem majorem hostiae consecratae (quae in aliis rubricis despoticon dicitur, nimirum corpus dominicum, δεσποτικὸν σῶμα), et clamat Sancta sanctis, et populus Unus Pater Sanctus, unus Filius Sanctus, unus Spiritus Sanctus; atque ita in liturgiis Copticis, Syriacis, Aethiopicis, Chaldeis, et Graecis Alexandrinis, in quarum nonnullis confessioni Trinitatis additur doxologia, in aliis prolixior, brevior in aliis; in omnibus tamen, tam Graecorum quam Orientalium, liturgiis Sancta sanctis elata voce profertur. Atque ita prolatum fuisse apud Gotho-Hispanos, et Gallos, ut a toto populo audiri potuerit, mihi certum est, quamvis rubrica nostri Missalis praescribat ut submissa voce dicatur, nam modo partem efficit orationis, quam ad commistionem corporis et sanguinis Domini fundunt. Ast olim ab ea oratione sejunctum erat, et populus; vel chorus, post dictum Sancta sanctis, quaedam canebat quae Missali nostro omnino exciderunt. Suspicio tamen post Sancta sanctis id cantatum fuisse quod Galli trecanum appellabant, complectebaturque fidei catholicae confessionem de unius Deitatis trium personarum distinctione, optimum contra haereses Arianorum et Priscillianistarum antidotum: Trecanum vero quod psallitur, inquit sanctus Germanus, signum est catholicae fidei de Trinitatis credulitate procedere; sic enim prima in secunda, secunda in tertia, et rursus tertia in secunda, et secunda notatur in prima; ita Pater in Filio, mysterium Trinitatis complectit; Pater in Filio, Filius in Spiritu sancto, Spiritus sanctus in Filio, et Filius rursus in Patre. Unde patet hanc Trinitatis confessionem haud absimilem esse illi quam post Sancta sanctis populus in Oriente proferebat: Unus Pater sanctus, unus Filius sanctus, unus Spiritus sanctus, etc. In pervetusto Codice insignis Ecclesiae Andegavensis, teste Martenio (de antiq. Eccl. Ritib., lib. I, cap. 4, art. 9, n. 2), ad hostiae in calicem immissionem leguntur haec verba: Sanctum cum sanctis, haec sacrosancta commistio, etc. Et in altero ejusdem Ecclesiae Missali: Sancta cum sanctis, et commistio corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi prosit edentibus et bibentibus in vitam aeternam. Amen. Quae a vetusto Gallicano ritu profecta esse facile est dignoscere.

⁹⁸ Adde et sanguinis. Canon Romanus: Haec commistio et consecratio corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi fiat accipientibus nobis in vitam aeternam. Missale Ambrosianum: Commistio consecrati corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi nobis edentibus, et sumentibus proficiat ad vitam et gaudium sempiternum. In nostro Missali est sumentibus et potantibus sit ad veniam, ubi illud sumentibus, idem significat ac edentibus, quamvis in Mediolanensi idem significet ac potantibus. Ex his tamen constat vocem sanguinis hic, et pag. 6, Missali nostro deficere. Jam vero Gotho-Hispani ante orationem Dominicam hostias, sive oblationes frangebant (Vid. not. pag. 230). Deinde, post orationem Dominicam elevando partem oblationis dicebant Sancta sanctis, et canebatur quod Galli trecanum appellarunt (Vid. not. pag. 232.). Demum fragmentum oblationis in calicem mittebant dicendo: Confractio Corporis et sanguinis, etc., nullum tamen faciebant crucis signum, de quo ordo antiquus Blanchinii, et primus ordo Mabillonii silent. Sanctus Germanus, in Explicatione missae Gallicanae commistionem corporis et sanguinis Domini, nomine tenus attingit: Confractio vero, inquit, et commistio corporis Domini... declarata antiquitus sanctis Patribus fuit... Sacerdote autem frangente... clerus psallet antiphonam. Commistio panis et calicis ritus est plane antiquus, et omnibus liturgiis communis. A Gotho-Hispanis (Conc. Tol. IV, can. 18) dicta est conjunctio panis et calicis. Ab Amalario (Eccl. Off. I. III, c. 31) dicitur immistio panis in vinum. A Micrologo, cap. 18, immissio panis in calicem; a Gallis, ut ex sancto Germano colligitur, a Mediolanensibus et a Romanis, commistio corporis et sanguinis Domini; a Graecis ἡ ἄγία ἔνωσις, sacra unio, quo vocabulo in liturgia Graeca sancti Jacobi, in liturgiis Copticis et Syriacis, designatur, in quibus etiam consignatio et commistio mysteriorum appellatur. Sed quamvis hic ritus ex iis sit qui in omnibus liturgiis praescribuntur, tamen diversimode transigitur. Nam, in Graecorum et Coptitarum liturgiis, Sancta sanctis praemittitur fractioni, et continuo fractioni conjungitur consignatio et commistio mysteriorum. At apud Gotho-Hispanos fractio praecedat orationem Dominicam, ejusque praefationem, et appendicem Libera, etc. Deinde consequitur Sancta sanctis, ac tandem conjunctio panis et calicis, quae proinde a confractione procul sejungitur. Gallos eodem ordine has actiones fecisse reor, quamvis sanctus Germanus commistionem illico subjungat confractioni, et postea de oratione Dominica loquatur; hic enim nonnunquam actiones alio ordine narrat quam quo gestae sunt. Romae pontifex inter missarum solemnias post sumptum corpus Domini commistionem facit, reliqui autem sacerdotes ad ea verba, Pax Domini sit, etc., partem hostiae in calicem mittunt. Ordo Romanus IV Mabillonii, qui verbatim ferme ex Amalarii ecloga desumptus est (Confer apud Georgium, de liturg. Rom. Pont., t. III, a p. 367, in appendice monumentorum) distincte (Pag. 62) habet: Pontifex deinde dicit Pax Domini sit semper. Non mittit partem de sancta in calicem, sicut caeteris sacerdotibus mos est. Et infra: Quando communicat dominus apostolicus, partem sibi mordet, et reliquam in calicem mittit, faciens crucem de ea tribus vicibus super calicem nihil dicens. Hinc patet pontificem, saltem in missa solemnibus, saeculo IX defluente, particulam hostiae in calicem non misisse ad ea verba, Pax Domini, etc. Sed neque saeculo XIII. Testis est Innocentius III (lib. VI, cap. 9) clare negans pontificem ad ea verba, Pax Domini, particulam hostiae dimittere in calicem, sed eam post trinum crucis signaculum in patenam reponere, et infra, agens de communione pontificis in missa, docet pontificem partem majorem oblatae, sibi a subdiacono in patena exhibitam, dividere, unamque particulam sumere et aliam mittere in calicem, quem tenet coram ipso diaconus, de quo sanguinem haurit cum calamo. Demum neque adhuc saeculo XIV pontifex mittebat partem hostiae in calicem ad dicta verba Pax Domini, etc. Constat ex ordine Romano XIV Mabillonii (Pag. 336); sic enim Jacobus cardinalis Cajetanus scribit: Cum ipsa particula ter signet super calicem dicendo pax Domini, etc.... adjungat particulam illam aliis particulis quae sunt in patena. Atque adeo particulam illam non mittit in calicem. De commistione vero infra, agens de communione, distincte meminit: Pontifex cum reverentia accipiat de patena majorem partem hostiae, et dicat PANEM COELESTEM ACCIPIAM, etc., tenens partem praedictam hostiae, cum quatuor digitis, super sanguinem et calicem, dicat reverenter tribus vicibus, DOMINE NON SUM DIGNUS, etc. Postea signet se cum ipso corpore, et reverenter sumat totum illud quod est extra digitos praedictos, et quod infra digitos remanet ponat in calice cum sanguine, dicens: FIAT COMMISTIO, ET CONSECRATIO CORPORIS ET SANGUINIS, etc. At XIV saeculo exeunte, aut certe saeculo XV, pontifex, more aliorum sacerdotum, particulam hostiae in calicem mittebat ad ea verba, Pax Domini, etc. Testis est liber Caeremoniarum S. R. E. (Lib. II, cap. 14) citatus a Georgio (Liturg. Rom. Pont. t. III, lib. IV, c. 14, pag. 131), ubi haec: Pax Domini, etc. Et signat ter cum particula super calicem; deinde eam in calice deponit. Atque hunc morem etiam nunc tenet pontifex in missa solemnibus, vetustiore abdicato. At, inquis, unde natum est ut alii sacerdotes ritu Romano celebrantes per tot saecula commistionem facerent ad haec verba, Pax Domini sit semper vobiscum, cum ipse Romanus pontifex non nisi post sumptum corpus Domini commistionem faceret? Mihi quidem haec varietas orta videtur ex antiquissimo ritu Romano bis faciendi commistionem, primum ad ea verba, Pax Domini, etc., et rursus, inter communicandum, postquam pontifex corpus Domini sumpserat; nam, cum deinde semel tantum in missa commistionem panis et calicis facere placuisset, alii sacerdotes ad ea verba, Pax Domini, etc., particulam hostiae

et dicat alta voce sic: si ibi non fuerit Diachonus. [In cantu] Humiliate⁹⁹ vos ad benedictionem.

Dominus sit semper vobiscum.

R\ . Et cum spiritu tuo.

Benedictio.

Christus Deus Dei Patris Filius: quem Jacobum relicto Patre in navi tota secutus est intentione cordis: indesinenter vos faciat suis inherere vestigiis.

in calicem mittebant; Romanus autem pontifex consuetudinem immittendi corpus in sanguinem Domini tempore communionis ad saeculum usque XV retinuit. Porro Romanum pontificem bis in eadem missa commistionem antiquitus fecisse, observavit Amalarius (Eccl. Off. lib. III, cap. 31), quamvis ejus aevo ritus ille jam antiquatus fuerat. Et post Amalarium Mabillonius (Comment. ad ord. Roman., pag. 36 et 51), et antiquiores Ordines Romani primus et secundus Mabillonii, primus et tertius Hittorpii, et Ordo Romanus Blanchinii, editus inter prolegomena ad tom. III Anastasii (Opusc. 3), duplicem hanc commistionem corporis et sanguinis Domini in eadem missa fieri solitam clare ostendunt, atque in prima commistione ad ea verba, Pax Domini, etc., pontificem in calicem misisse partem oblationis in anteriori missa consecratam, eam scilicet quam ad altare processurus inspexerat et adoraverat; in secunda vero commistione, quam inter communicandum faciebat, pontificem in calicem demisisse partem sacrificii ejusdem diei, ut supra, ex Ordinibus Romanis explicavi. Demum adverte, juxta Ordinem Blanchinii, et primum, et tertium Hittorpii (quibus magis fido quam Ordini primo Mabillonii), pontificem nihil dixisse, neque crucem fecisse cum ad verba, Pax Domini, etc., fragmentum sacrum in calicem mitteret; at, cum tempore communionis commistionem faceret, dixisse: Fiat commistio, et consecratio corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi accipientibus nobis in vitam aeternam, crucem vero nullam fecisse. Mos immittendi partem sacrificii anterioris in calicem, ad ea verba, Pax Domini, etc., tempore Amalarii in usu esse desierat, ut plane constat ex Ordine Romano, quem eclogae suae inseruit, estque quartus Mabillonii. Desiisse autem hunc ritum puto, cum partem Eucharistiae prioris sacrificii ostendi pontifici sacra facturo et ad altare deferri desiit. In Gallia, consuetudo deferendi Eucharistiam ad altare, cum missa solemniter fieret, saeculo VI adulto vigeat; quo tempore Romae fuerit abrogata mihi non constat. Hodierno ritu, ut praescribit rubrica Missalis sancti Pii V, sacerdos cum ipsa particula signat ter super calicem dicens PAX ✠ DOMINI SIT ✠ SEMPER VOBIS ✠ CUM; et respondetur ET CUM SPIRITU TUO, et particulam ipsam imponit in calicem, dicens secrete: HAEC COMMISTIO, etc. Neque aliter, in missis privatis, saeculo XI, faciebat (Microl., cap. 17); atque haec de ritu Romano. Juxta liturgiam Constantinopolitanam, sacerdos Graecus, peracta fractione corporis Domini, accipit partem unam sancti panis, et manu tenet, et diaconus, ostendens cum stola sanctum calicem, dicit IMPLE DOMINE, SANCTUM CALICEM. Sacerdos dicit PLENITUDO FIDEI SPIRITUS SANCTI. Mox signum crucis facit, et mittit particulam in sanctum calicem, et diaconus dicit AMEN (Euch. Goar., p. 82). Haec pars liturgiae, quae apud Graecos et Latinos simplex est et expedita, apud Orientales, Syros et Coptitas proluxa est et operosa, de qua vide notas eruditas Renaudotii (Tom. I Lit. Orient., pag. 258; tom. II, pag. 108, et alibi). Syri, ut est in liturgia Syriaca sancti Jacobi (Renaud., tom. II, pag. 41), a majori parte hostiae consecratae particulam auferunt, eamque sanguini intingunt, atque, ita sanguine sacro madidam, ac alia fragmenta, in quae oblatam diviserunt, signant, dicentes: Inspersitur (sic) sanguis Domini nostri Jesu Christi corpori ejus; tum illam particulam calici immittunt, dicentes: Miscuisti, Domine, divinitatem tuam cum humanitate nostra, et humanitatem nostram cum divinitate tua... tibi gloria in saecula. Chaldaei, sive Nestoriani (Renaud., tom. II, pag. 594), praeter alias caeremonias, hostiae partem majorem in duas partes frangunt, quarum aliam in disco deponunt, alia vero, quam dextra tenent, calicem signant dicentes: Signatur sanguis pretiosus corpore sancto Domini nostri Jesu Christi, in nomine Patris, etc., et respondetur Amen. Tum eandem hostiae partem usque ad medium in calice intingunt et signant cum ea corpus quod est in patena, dicentes: Signatur corpus sanctum sanguine propitiatorio Domini nostri Jesu Christi, in nomine Patris, etc. Sacerdos Copticus (Liturg. S. Basil. Coptic., apud Renaud., t. I, p. 19, et apud eundem Gabriel Alexandrinus citatus, ibid., 159) partem praecipuam hostiae consecratae, quam ISBO-DICON appellant, vola manus sinistrae sustinens digito manus dextrae tangit, dicens: Corpus sanctum; tum eundem digitum indicem immergit calici, eoque, in sanguine, crucem format, dicens: Et sanguis pretiosus Christi, ipsius omnipotentis Domini Dei nostri; demum educens indicem e calice, sanguine tinctum, eo corpus Domini signat nihil dicens, quibus apparet Coptitas commistionem mysteriorum facere, partem tamen hostiae in calicem non immittere.

⁹⁹ De benedictione, vide pag. 246

R\ Amen.

Quique per hunc Apostolum suum cultores demonum convertit ad fidem: concedat vobis vana hujus seculi respuendo se in veritate diligere.

R\ Amen.

Ut ejus remuneremini presidiis: cujus hodie triumphum excolitis passionis.

R\ Amen.

Quod ipse prestare dignetur: per misericordiam tuam Deus noster qui es benedictus: et vivis et omnia regis in secula seculorum.

R\ Amen.

Postea statim dicat. Dominus sit semper vobiscum.

R\ Et cum spiritu tuo.

Quo dicto cantet Chorus. Gustate¹⁰⁰ et videte quam suavis est Dominus: alleluja: alleluja: alleluja.

V\ Benedicam Dominum in omni tempore: semper laus ejus in ore meo: alleluja: alleluja: alleluja.

V\ Redimet Dominus animas servorum suorum; et non relinquet omnes qui sperant in eum: alleluja: alleluja: alleluja.

V\ Gloria et honor Patri: et Filio: et Spiritui Sancto in secula seculorum: amen. Alleluja: alleluja: alleluja.

Quo dicto¹⁰¹ accipiat Presbyter aliam particulam sequentem et dicat sic.

¹⁰⁰ Haec antiphona, ex psalmo XXXIII, 9, desumpta, Missali nostro Ad accedentes inscribitur quae olim, dum populus ad communionem accedebat, canebatur. Constitutiones apostolicae (Lib. VIII, cap. 13, alias, cap. 20) praescribunt ut, cum Eucharistia distribuitur, cantetur psalmus XXXIII; sed jam tempore sancti Cyrilli, Hierosolymis non integer psalmus XXXIII, sed segmentum ejusdem canebatur, ut catechesis mystagogica 5 indicare videtur: Audivistis deinde vocem psallentis, divina quadam melodia vos ad sanctorum mysteriorum communionem invitantis: GUSTATE ET VIDETE QUONIAM BONUS EST DOMINUS; et sanctus Ambrosius (De iis qui myst. init., cap. ult.): Unde et Ecclesia, videns tantam gratiam, hortatur filios suos... GUSTATE ET VIDETE quoniam suavis est Dominus; beatus vir qui confidit in eo, etc. In Antiphonario Gregoriano singulis missis sua est antiphona ad communionem, quae Missali Romano sancti Pii V simpliciter communicatio inscribitur. In Missali nostro antiphona ad accedentes ab Adventu ad Quadragesimam, et a vigilia Epiphaniae ad Adventum eadem est gustate et videte, etc., quae etiam in sanctorum missis canitur. At Dominicæ Quadragesimæ singulae propriae habent antiphonam ad accedentes, quae Dominica 1 Quadragesimæ est Qui venit ad me non esuriat, qui credit in me non sitiet unquam, etc. (Pag. 98); ubi adverte quod per errorem inscribitur ad confractionem panis, cum sit antiphona ad accedentes, quae hac Dominica et omnibus feriis quartis et sextis Quadragesimæ canitur. Feria 5 in coena Domini suam habet antiphonam propriam ad accedentes, deinde a Sabbato sancto usque ad vigiliam Pentecostes antiphona ad accedentes, vel ad accedendum est Gaudete populi et laetamini, etc. (Pag. 193), quae Dominica Resurrectionis, singulis diebus octavarum Paschæ, Dominicis a Paschate ad Ascensionem, die Ascensionis et sequenti Dominica canitur. Demum advertendum, eundem ordinem liturgicum in Missali Mozarabum observari, quem concilium IV Toletanum (Can. 18, alias 17) praescribit, scilicet ut post orationem Dominicam, et conjunctionem panis et calicis, benedictio in populum sequatur, et tunc demum corporis et sanguinis Domini sacramentum sumatur. Apud Gallos, ut ex Missali Gallo-Gothico patet, orationem Dominicam consequatur benedictio, et benedictionem communicatio, et sanctus Germanus aperte scribit quod ante communionem benedictio traditur, ille quidem de confractione et de commistione corporis et sanguinis Domini prius agit, et tum de oratione Dominica; unde suspicari liceret Gallos, in nonnullis saltem Ecclesiis, hostiae confractionem et commistionem panis et calicis praemisisse orationi Dominicæ, si constaret hunc auctorem de recto ordine servando sollicitum fuisse.

¹⁰¹ In missa privata sacerdos prius dicit antiphonam ad accedentes, et deinde communicat, in missa solemniori tempore communionis canitur antiphona ad accedentes. Dicta igitur antiphona illa, sacerdos de patena tollit

Oratio. Panem celestem de mensa Domini accipiam: et nomen Domini invocabo.

Dicat Memento pro mortuis: tenendo illam particulam super calicem. Et perfecto Memento dicat silentio hanc orationem.

Oratio. Domine Deus meus: da mihi corpus et sanguinem filii tui Domini nostri Jesu Christi ita sumere: ut per illud remissionem omnium peccatorum merear accipere: et tuo Sancto Spiritu repleti Deus noster. Qui vivis et regnas in secula seculorum: amen.

233 Oratio. Ave in evum sanctissima caro Christi: in perpetuum summa dulcedo.

Et sumat particulam quam in manu habet: et cooperiat calicem et veniat ad patenam: et consumat omnes particulas per ordinem. Et deinde accipiat patenam et ponat super calicem: et purget bene cum pollice et accipiat sanguinem.

Oratio. Ave in evum celestis potus: qui mihi ante omnia et super omnia dulcis es.

Oratio. Corpus et sanguis ✠ Domini nostri Jesu Christi custodiat corpus et animam meam in vitam eternam. Amen.

Et dum Sacerdos sumpserit sanguinem dicat immediate hanc orationem.

particulam octavam, dictam gloria, dicens Panem coelestem, et tenendo eam supra calicem facit Memento pro mortuis. De quo idem sentiendum quod de Memento vivorum, scilicet utrumque, praeter antiquum morem Gotho-Hispanum, e Missali Romano huc translatum esse. Facto autem Memento mortuorum, dicit submissa voce orationem Domine Deus meus, etc.; Tum dicit Ave in aevum. In Pontificali Prudentii, Trecensis episcopi, apud Martenium (De ant. Eccl. Ritib., l. I, c. 4, art. 12, tom. I), habetur oratio dicenda quando sumitur corpus Domini: Ave in aevum, sanctissima caro, mea in perpetuum summa dulcedo. Huic orationi (Pag. 7) additur Panem coelestem accipiam, et nomen Domini invocabo. Insuper addit Roblesius, tam in Vita cardinalis Ximenii (Cap. 28) quam in Missa sancti Jacobi, quod, dicto Ave in aevum, sacerdos, ter pectus tundens, dicit Domine, non sum dignus, etc., de quo nihil exstat in rubricis Missalis, neque apud Pisam; tamen Roblesio, ut pote parocho Mozarabico, et viro satis erudito, in iis quae ad ritus sui rubricas spectant credendum est. Igitur sacerdos primum dicit Ave in aevum, etc., tum dicit Domine, non sum dignus, etc., pectus tundens, tertio dicit Panem coelestem accipiam, etc.; demum sacram particulam, quam manu tenet, facto siguo crucis, sumit. Deinde cooperit calicem, omnesque particulas singillatim consumit, tum discooperit calicem, et supra calicem patenam diligenter abstergit, fragmenta in eum dejiciens, et postea dicit Ave in aevum, coelestis potus, etc. (quae oratio in Pontificali Prudentii Ad sanguinem Domini accipiendum inscribitur), et sanguinem sumit, quo hausto dicit Corpus et sanguis, etc.; et dum ablutionem sumit, dicit Domine, Deus meus, Pater, Filius, et Spiritus sanctus, etc. De ablutione nihil est in rubricis Missalis; at Roblesius, et Pisa dicunt quod haec oratio, Domine, Deus meus, dicitur dum sacerdos oblationem sumit et digitos lavat. Deinde sacerdos, cum missam privatam celebrat, dicit Referti Christi corpore, etc., et tempore Quadragesimae Repletum est gaudio os nostrum, etc. At in missa solemnibus ista cantat Chorus. Inscribebuntur autem communio. His dictis aufertur ab altari liber omnium offerentium, et Missale ad cornu Epistolae defertur, et sacerdos dicit orationem quae post communionem inscribitur, Corpus Domini nostri Jesu Christi, etc. (De his, vide pag. 284). Ea oratione absoluta, sacerdos dicit Per misericordiam Dei nostri, etc. Deinde salutatur populum: Dominus sit semper, etc. Respondetur Et cum, etc.; quibus dictis, si dies fuerit Dominicus, aut festivus quatuor aut sex capparum, et missa sollemnis, diaconus cantando dicit. Solemnia completa sunt in nomine Domini nostri Jesu Christi, votum nostrum acceptum sit cum pace. Sin missa fuerit privata, eadem sine cantu a sacerdote dicuntur; at si dies fuerit ferialis, aut festivus duarum capparum, aut novem lectionum, dicit: Missa est, in nomine Domini nostri Jesu Christi perficiamus (perficimus) cum pace, et chorus, aut minister respondet Deo gratias, et in fine missae additur Salve, regina, etc.

Oratio. Domine Deus meus: Pater et Filius et Spiritus Sanctus: fac me te semper querere et diligere: et a te per hanc sanctam communionem quam sumpsit nunquam recedere: quia tu es Deus: et preter te non erit alius in secula seculorum. Amen.

Cantet Chorus. Communio. Refecti Christi corpore et sanguine te laudamus, Domine, Alleluia, Alleluia, Alleluia.

Dum Sacerdos dixerit Corpus Domini nostri Jesu Christi. eat ad cornu altaris dextrum.

Oratio. *Corpus Domini nostri Jesu Christi quod accepimus: et sanctus sanguis ejus quem potavimus: adhereat visceribus nostris eterne omnipotens Deus: ut non veniat nobis ad iudicium: nec ad condemnationem: sed proficiat ad salutem et ad remedium animarum nostrarum in vitam eternam.*

R\. Amen.

Dicat Presbyter proficiscens a cornu Epistole ad medium altaris:

Per misericordiam tuam, Deus noster, qui es benedictus et vivis et omnia regis in secula seculorum. **R\.** Amen.

Dominus sit semper vobiscum.

R\. Et cum spiritu tuo.

Dicat Presbyter vel Diaconus:

Solemnia completa sunt in nomine Domini nostri Jesu Christi: votum nostrum sit acceptum cum pace.

R\. Deo gratias.

In fine Misse dicitur Antifona in laudem gloriose Virginis Marie. Ant. Salve regina misericordie. Vita dulcedo et spes nostra salve. Ad te clamamus exules filii Eve. Ad te suspiramus gementes et flentes in hac lachrymarum valle. Eya ergo advocata nostra: illos tuos misericordes oculos ad nos converte. Et Jesum benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exilium ostende. O clemens. O pia. O dulcis Virgo semper Maria.

V\. Post partum. Etc.

Quo facto dat benedictionem hoc modo:

In unitate sancti Spiritus (**signat et osculat Altare**) Benedicat vos (**elevat manus et vertens se ad populum dicat**) Pater et Filius.

Item orationes¹⁰² que sequuntur dicuntur per totum annum tam diebus Dominicis quam in festis post Eucharistiam. Refecti Christi corpore et sanguine pariter: quia sanctificati Deo Patri

¹⁰² Praeter has orationes aliae quaedam post communionem dicuntur.

omnipotenti gratias referamus: ut nos in eadem refectione et sanctificatione habentes: hic et in futuro seculo gloriam percipiamus.

R\. Amen.

Oratio. Gustantes Domine suavitatis dulcedinis plenitudinem quesumus: ut sit nobis hoc ad remissionem peccatorum et sanitatem mentium. Amen.

Oratio. Christi Domini nostri gratia satiati gratias agimus perpetue Trinitati: cujus sanguine sumus precio magno redempti. Petimus itaque sacramentorum tuorum meritis: ut de hoc seculo eripiamur inlesi.

R\. Amen.

Oratio. Gratias tibi agimus Domine Deus: et te Deum benedicimus de die in diem: qui nos in hanc diem sancte solennitatis tue perducere dignatus es. Fac ut diem istum Nativitatis tue: Conceptionis: Circumcisionis: Apparitionis: Resurrectionis: Ascensionis per multa curricula annorum in pace et tranquillitate suscipere mereamur cum fideli populo tuo.

R\. Amen.